EPISTOLA CRITICA

AD

AMICOS

VAN LEEUWEN et M. B. MENDES DA COSTA

CONTINENS

ANNOTATIONES AD ODYSSEAM.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

LUGDUNI BATAVORUM
A. W. SIJTHOFF
MDCCCLXXXXVI.

EPISTOLA CRITICA.

EPISTOLA CRITICA

AD

AMICOS

. VAN LEEUWEN et M. B. MENDES DA COSTA

CONTINENS

ANNOTATIONES AD ODYSSEAM.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

LUGDUNI BATAVORUM
A. W. SIJTHOFF
MDCCCLXXXXVI.

In lucem his diebus prodiit Iliadis a Vobis secundis curis editae volumen alterum. Quae res tanto me affecit gaudio ut silentio eam praeterire paene nefas mihi videretur. Igitur primum Vobis gratulor, quod laboris Vestri eum percipiatis fructum, qui raro contingit cum philologis omnibus tum praesertim nostratibus. Liber enim Vester ille per omnes spargitur terras, studiose petitur, adhibetur, consulitur; iam exhausta est magna exemplarium copia, quam venalem exhibuit redemptor, nova eaque non minore opus est. Sic intelligitis probari studia Vestra discentibus docentibusque, et, quod pluris est, viris insigni doctrinae laude conspicuis, quorum auctoritatem ceteri sequi soleant. Et quis non laudet diligentiam Vestram in observandis notandisque innumerabilibus vitiis, quibus carmina Homerica laborant, quis non singularem illam admiretur sagacitatem, qua in vocabulis inepte corruptis vetusti sincerique sermonis epici quovis fere versu deprehenditis vestigia? Quibus virtutibus hoc certe assecuti estis ut, quamvis multi docti a Vobis dissentiant, nemo tamen tam ineptus inveniri possit, cui non hoc persuasissimum sit, in crisi Homerica et in accuratiore poësis epicae studio semper et ubique Vestri Vestraeque sententiae rationem esse habendam.

Solent autem amici amicis, quibus laeti aliquid evenit, dona offerre, quibus idem illud se quoque laetari testentur. Atque felici quodam casu in meis scriniis paratum iacebat aliquid unde facile donum huic tempori aptissimum, ut mihi videbatur, confici posset. Dum enim Odysseam Vestram legebam, annotationesque Vestras ad eam perscrutabar animoque volvebam, de haud paucis versibus sententia mihi aliqua nascebatur aut

nova aut a Vestra aliorumque, quos commemoratis, opinione aliquo modo recedens, et quo saepius ad librum Vestrum recurrebam eo magis mihi de iisdem locis idem persuadebatur. Igitur otii aliquid nactus commenta mea, sive suspiciones dicere mavultis, scripto mandare decrevi atque longiore vel breviore disputatione ita adornare, ut liber neque spissus evaderet neque nimis exilis aridusque. Quem cum perfecissem, quid eo facerem dubius etiam haerebam, cum mihi afferebatur novum illud volumen Vestrum, quod quam gratum mihi esset modo dixi.

Hic autem Goethei mihi in mentem veniebat, qui de sua vita vera fictaque scribens et alia lepidissime salsissimeque narrat et iuvenem se a quodam amico, homine eiusmodi sententiarum, quae *παράδοξα* dicuntur, amantissimo, saepe admonitum ne carmina in vulgus ederet — amittere enim pretium suum quae publice prostarent et multorum contrectarentur manibus: paucissima potius eorum exemplaria describenda curaret, quae intimis amicis dono darentur; ipsum autem, qui illud dedisset consilium — Baehrischio ei nomen fuit, nisi me fallit memoria — cum elegantissime scriberet, ad eum laborem operam suam esse pollicitum.

Nolite tamen putare me unquam observationum mearum duo exemplaria describere coepisse, quorum alterum alteri Vestrum offerrem. Lubenter id fecissem, nisi intellexissem duas mihi hic deesse res, quibus utique opus esset, si ridiculum meum donum esse nollem. Deerat primum nitida illa Baehrischii manus. Hic tamen confidere poteram Vos literulis minus venuste depictis contentos fore. At deerat praeterea id, in quo omne doni pretium futurum erat: Goetheanum nomen ingeniumque. In paucorum illorum esse numero, quibus suarum Musarum fetus Goetheus aliquis committat, id solum iam in laude atque honore est ponendum. At meum dare nihil est, nisi me dedisse sciant quam plurimi. Ergo solita illa typothetarum opera usus sum: sic enim fore existimabam ut omnes, in

quorum manus libri de arte nostra venirent, in ipsorum numero unum esse cognoscerent, qui Vestram industriam Vestrumque acumen publico aliquo praeconio digna iudicaret. Non quod meum mihi iudicium magni videretur momenti, sed laeta me spes tenebat fore ut multi a me admoniti mecum idem declararent. Sic, ubi ingens alicui artifici plausus tollitur, ab uno tamen fit initium.

Atque sperabam utilitatis aliquid in meo futurum dono, non tam Vobis quam mihi ceterisque mei moduli philologis. Meis enim dubitationibus proferendis Vestram provocaturus eram sententiam; cumque nemo tam sit verecundus quin persuasum sibi habeat, ubi ipse haereat ibi et alios vel haesisse vel haesuros esse, mea quoque opera effici posse ut Odysseae Vestrae nova editio — felix enim Iliadis Vestrae sors illam quoque propediem exspectare nobis permittebat — tironibus certe magis etiam quam ea quam nunc manibus tenemus prodesset arbitrabar: hos enim cum magno suo emolumento cognituros quibus argumentis ducti Vos — si modo id futurum esset — in meam iissetis sententiam, quibus me refellendum esse statuissetis.

„Inchoat" autem „a se qui recte vult esse benignus." Mihi ipsi huiusce doni uberrimum promittebam fructum. Quid enim illi, qui sua commenta in lucem emittit gratius, quid utilius quam statim iudices nancisci et idoneos et aequos? De rebus autem ad Homerum pertinentibus paucos tam idoneos esse iudices quam Vos credo, aequiores nusquam in nostra arte iudices exstare certo scio. Profecto non ii Vos estis, qui alto supercilio aliena condemnetis conamina: non Vos leviusculos errores studiose protrahitis: vel graviores silentio obtegere quam graviter perstringere mavultis. Ergo dum me docebitis, simul quominus maligni libellum meum rodere vel discerpere possint prohibebitis.

Sunt autem observationum mearum haec fere genera. Modo

aliquam opinionem a Vobis vel prolatam vel commemoratam aliquo argumento confirmare studui; modo — sed raro factum id quidem est — Vestram sententiam refellere sum conatus. Saepissime tamen de versibus, ad quos nihil a Vobis annotatum inveniebam, meam dubitationem proposui.

Duabus vero in rebus, vel potius in una — tam sunt inter se cognatae — parum mihi constitisse videri possim. Quod sponte hic proloquor, ne graviter a quibusdam increper, nam de Vobis nihil huiuscemodi exspecto. Iis locis ubi pronomen ὁ articuli vice fungeretur, vel αὐτοῦ, αὐτῷ cett. positum esset pro ϝοῦ ϝοί cett., modo emendationem suasi, modo illis vocabulis usus sum ad demonstrandum versus, ubi legerentur, recentioris esse poëtae. Vos tamen statim intellecturos opinor me nullum huiuscemodi locum corrigere esse conatum, nisi qui simul aliquo sententiae laboraret vitio. Namque, ut magnum aliquid libere proloquar, mihi si carmina Homerica essent edenda, ad certam aliquam grammatices normam ea exigere vix auderem. Certe verecundissime hic agerem. Digamma, ut hoc utar, fortasse restituerem, sed ubi vacuus ei exstaret locus vel nil nisi ν ἐφελκυστικόν esset removendum; nil praeterea illius literae aut omnino alicuius vetustae formae causa mutarem, aut vererer ne non librarii grammaticive errorem corrigerem, sed poëtae alicui obtruderem sermonem, cuius ipse fuisset magis ignarus quam quisquam veterum grammaticorum.

Sed nolo hic disputationem ordiri plenam spinarum, neque Vos morari iam meas annotationes, ut spero, cognoscere cupientes.

LIBER I.

123 sq. Mentorem simulatum simulac conspexit Telemachus obviam ei currit atque his verbis novum hospitem in aedes suas introducit:

χαῖρε, ξεῖνε, παρ' ἄμμι φιλήσεαι· αὐτὰρ ἔπειτα
δείπνου πασσάμενος μυθήσεαι ὅττεό σε χρή.

Annotatis: „l. a. μυθήσεο („an μυθήσαιο?" Ludwich)." Ergo vitiosum istud μυθήσεο non e μυθήσεαι verum e μυθήσαιο Ludwichius natum censet; quae opinio valde mihi arridet; non enim solum μυθήσαιο facilius quam μυθήσεαι in μυθήσεο abire potuit, sed etiam perquam verisimile est fuisse qui hic optativum (imperativi sensu) requiri putarent. Error hic est, sed parata venia; permultos enim vera futurorum, quale hoc μυθήσεαι est, sententia et olim fugit et nunc quoque fugere videtur. Itaque innumeri sunt loci, nostro similes, ubi verbum in ... σατε vel ... σασθε exiens legitur, cum tamen unice verae sint terminationes ... σετε vel ... σεσθε. Ergo operae pretium mihi facturus videor si futurum illud quam accuratissime explicuero. Neque multis verbis opus hic est; hoc dixisse sufficit nostro sermone illud ope verbi quod est „posse" illustrandum esse. Igitur hoc inter futurum nostrum et imperativum (optativumve) interest quod hoc f a c e r e aliquid aliquis iubetur at illo n o n f a c e r e, certe n o n d u m f a c e r e et

differre. Sic hoc loco Telemachus hospitem in hunc modum alloquitur: „noli mihi narrare, hospes, quid huc venias; sed prius asside et mecum coena; deinde, cibo potuque recreatus, otiosus narrare poteris quid tibi velis.“ Conferatur A, 140 sq.:

ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα μεταφρασόμεσθα καὶ αὖθις·
νῦν δ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν.

ubi haud dubie futurum est μεταφρασόμεσθα. Hoc enim Agamemnon dicit: „primum id quod maxime urget faciamus, Apollinemque placemus; tum dei pace impetrata quieti et sedato animo de damno meo compensando deliberare poterimus.“ Sed nullum est luculentius exemplum quam quod legitur μ. 23 sqq.:

ἀλλ' ἄγετ' ἐσθίετε βρώμην καὶ πίνετε ϝοῖνον
αὖθι πανημέριοι, ἅμα δ' ἠόι φαινομένηφι
πλεύσεσθε.

Dicebam saepe huiuscemodi locos ab imperitis grammaticis ita corruptos ut pro futuris imperativos ponerent. Insigne dabo exemplum, quod adhuc a criticis neglectum videtur:

Demosthenes (κατὰ Φιλίππου A p. 48) quomodo bellum sibi gerendum videatur exponit; quot militibus et quanta pecunia opus sit significat; computationem suam recitat vel recitari iubet. Sed omnia haec orator adumbrat tantummodo, nondum accurate totam rem consideravit. Ergo finita recitatione sic pergit: ἃ μὲν ἡμεῖς ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι δεδυνήμεθα εὑρεῖν ταῦτ' ἐστίν· ἐπειδὰν δὲ ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ χειροτονήσατε ἵνα μὴ μόνον (τοῖς) ψηφίσμασι καὶ (ταῖς) ἐπιστολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ ἀλλὰ καὶ (τοῖς) ἔργοις.“

Absurda haec videntur. Quid enim? Decernere quod placeat (χειροτονεῖν ἃ ἂν ἀρέσκῃ), estne hoc fere idem quod decernere quod oporteat? Haec tamen nunc oratoris sententia videtur. Qui enim dicit: „decernite quod placeat, ut non populiscitis epistolisque, sed (ita ut opus est) rebus factisque

cum Philippo bellum geratis" hoc dicit: „si decreveritis quod placuerit, ita ut oportet bellum geretis." Bene ergo factum quod pro *χειροτονήσατε* altera exstat lectio *χειροτονήσετε*, atque nostri est arbitrii utram probemus. Recepto autem *χειροτονήσετε* consilium obtinemus Demosthene dignum. Nunc enim illud *ἵνα πολεμῆτε* non tam a *χειροτονήσετε* pendebit quam ab universa totius loci sententia, ut hoc dicat Demosthenes: „consilii mei summam probate: tum non epistolis bellum cum Philippo geretis sed rebus factisque," addatque: „p o s t e a *χειροτονεῖν* quidquid placuerit p o t e r i t i s." Primariam enim partem sententiae, quam hic omisit Demosthenes et omittere potuit, quia in proxime praecedentibus saepe iam et accurate eam proposuit, aliquo imperativo (qualis est Homericus ille *ἐσθίετε*) enuntiatum cogitare debemus. Quando autem Athenienses *χειροτονεῖν ἃ ἂν ἀρέσκῃ* poterunt? *ἐπειδὰν ἐπιχειροτονῶσι τὰς γνώμας* i. e. cum de singulis consilii partibus deque emendationibus ab aliis propositis suffragium inierint. Etenim, id quod nunc vel unus hic locus docere potest, primum de tota lege decernitur; qua perlata tum demum de sententiis eorum deliberatur, qui aliquod caput mutando addendo demendo corrigere student.

203 sqq. De Ulysse haec simulatus Mentor vaticinatur:

οὔ τοι ἔτι δϝηρόν γε φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης
ἔσσεται, οὐδ᾽ εἴ πέρ ϝε σιδήρεα δέσματ᾽ ἔχῃσι·
φράσσεται ὥς κε νέηται, ἐπεὶ πολυμήχανός ἐστι.

Lectionem *ἀλλά* pro *οὐδέ*, quam Didymus commemorat, Aristarcho tribuere equidem non ausim: licet enim boni habeat aliquid, tota tamen est falsissima, quod vel ex uno *ἀλλά*, quod versus 206 primum est vocabulum, apparet. Quid enim durius quam duas deinceps ponere sententias ab *ἀλλά* incipientes? Sed vulgata lectio etiam peior videtur. Quid enim? Rediturusne Ulysses est, etiamsi teneant eum vincula ferrea i. e. irrupta et quae nulla vis humana solvere vel frangere possit? Dixeris

non esse hic ad severam trutinam exigenda singula vocabula: *ἀδύνατα* enim recte dici, quae tamen a deorum aliquo efficiantur. At eiusmodi interpretationem hinc repellit versus:

φράσσεται ὥς κε νέηται, ἐπεὶ πολυμήχανός ἐστι

quo ipse Ulysses sui reditus auctor fit effectorque. Sed considerate quam languidus versus ille sit, quam omni careat ardore poëtico, quam sapiat poëtastrum vel ludimagistrum. Eo autem eiecto restituta erit vetusti poëtae manus. Non enim putida quadam sapientia ratiocinatur Mentor, sed, licet vatem se esse neget, tamen plenus est dei, tamen *μαντεύεται* et quin eventura sint quae ei *ἐνὶ θυμῷ ἀθάνατοι βάλλουσι* non dubitat. „Etiamsi" ait „irrupta teneant Ulyssem vincula, tamen mox huc aderit: sic stat sententia divum." Quod autem dicebam boni habere aliquid lectionem a Didymo commemoratam: vulgatae praestat, nam integram certe servat interpolationem. Qui enim primus, inepto quodam diligentiae studio ductus, et ne in vaticinio quidem quidquam quod non accuratum videretur ferens, hunc locum corruperit, non solum, ut opinor, insulsum versum:

φράσσεται ὥς κε νέηται, ἐπεὶ πολυμήχανός ἐστι

adiecit, sed etiam simul *οὐδέ* in *ἀλλά* mutavit. Vulgata vero lectio interpolationem cum antiqua lectione permixtam exhibet.

LIBER II.

50 sqq. Telemachus a se populum convocatum declarat; deinde quo id fecerit consilio et aliis versibus exponit et hisce (50 sqq.):

μητέρ' ἐμῇ μνηστῆρες ἐπέχραον οὐκ ἐθελούσῃ,
τῶν ἀνδρῶν φίλοι υἷες, οἳ ἐνθάδε γ' εἰσὶν ἄριστοι·
52 *οἳ πατρὸς μὲν ἐς οἶκον ἀπερρίγασι νέεσθαι*
ϝικαρίοι', ὥς κ' αὐτὸς ἐϝεδνώσαιτο θύγατρα,
δοίη δ' ᾧ κ' ἐθέλῃ καί ϝοι κεχαρισμένος ἔλθῃ·
οἳ δ' εἰς ἡμέτερον κτέ.

Sequuntur solita illa de procorum epulis Telemachi patrimonio funestis. In versu 52 haerere vos minime mirum; atque iure literae ϝ in voce *οἶκος* defectus multo vos movet minus quam cetera quibus totus locus laboret vitia. Requiri autem hanc censetis sententiam: (p r o c i) q u i v e r e n t u r n e P e n e l o p e d o m u m p a t r i s s u i I c a r i i r e d e a t. Quapropter coniicitis:

οἳ πατρός ϝ'(ε) ἐς ϝοῖκον ἀπερρίγασι νέεσθαι.

Sed ne hunc quidem versum commendare lectoribus audetis, quia nusquam alibi *ἔρριγα* accusativum cum infinitivo adsciscat et quia compositum *ἀπερρίγασι* non nisi hoc loco exstet. Quae sunt causae gravissimae. Mihi autem sententia, quam vos desiderari putatis, minime in hunc locum quadrare videtur.

Quid enim? Custoditurne a procis Penelope ne foras eat? Nusquam eiusmodi aliquid legimus. Neque ullus est versus, ubi metus iste procorum de Penelope ad patrem reditura commemoretur. Nihil aliud nostro loco equidem ferri posse censeo quam hoc: „patrem Penelopes adire atque ab eo ita ut leges iubent illam uxorem petere, ne in mentem quidem iis venit: immo reformidant illud.“ Et quo saepius accuratiusque versus 52—54 adspicio, eo magis mihi persuadetur illam ipsam ibi sententiam legi, sed interpolatorem — interpolatorem enim esse qui eos iratis consarcinaverit Musis — non potuisse melius eam enuntiare. Videte enim quam dura sit pronominis relativi repetitio in istis (51) *οἵ* et (52) *οἵ*. Deinde reputate in uno versu 52 non minus quam tria, eaque gravissima, contra sermonis epici praecepta deprehendi delicta. Postremo considerate quam apte eleganterque versum 51 excipiat 55. Nonne vobis nunc verisimile videtur tres istos versus impostori deberi, qui praeterea (id quod tam saepe in recentioribus Odysseae partibus factum est) verbo *νέεσθαι* e u n d i sensum praebuerit? Hoc fere dicit homuncio, atque hoc sibi vult belle istud ab eo fictum compositum *ἀπερρίγασι*: „patrem Penelopes adire, ut ipse filiam uxorem dare possit cui velit ... hoc iis *κῆρ ϝείδεται εἶναι*.“ Ipse iile vocabulorum vehementiorum quam pro re usus vel maxime falsarium arguit. Et quam totius interpolationis causam esse censeamus? Nempe vocula *δέ* vs. 55, quam suum sibi *μέν* oppositum requirere imperitus homo putaverit.

68 sqq. Enumeratis miseriis quibus conflictatur sic flebiliter Telemachus pergit:

λίσσομαι ἠμὲν Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἠδὲ Θέμιστος,
ἥ τ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει ἠδὲ καθίζει·
σχέσθε, φίλοι, καί μ' οἶον ἐάσατε πένθεϊ λυγρῷ
τείρεσθαι.

Obscurissimus etiamnunc est verbi *σχέσθε* sensus. Quod enim annotatis: „desinite, nempe procos incitare (vid. vs. 74)" in hunc locum quadrare non videtur. Etenim ista omnia quae sequuntur:

εἰ μή πού τι πατὴρ ἐμὸς, ἐσθλὸς Ὀδυσσεύς,
δυσμενέων κάκ' ἔρεξεν ἐυκνήμιδας Ἀχαιοὺς,
τῶν μ' ἀποτινύμενοι κακὰ ῥέζετε δυσμενέοντες,
τούτους ὀτρύνοντες.

cum a vocibus *εἰ μή που* dependeant, rem significant absurdam quaeque vera esse nequeat: „nam istud credere nolo a vobis in me incitari procos propter aliquod patris mei delictum poenam a me sumentibus."

77 sq. „A vobis" sic Telemachus populum in contione alloquitur „patris mei opes exhauriri mallem"

τόφρα κε γὰρ κατὰ Ϝάστυ ποτιπτυσσοίμεθα μύθῳ
χρήματ' ἀπαιτίζοντες ἕως [κ'] ἀπὸ πάντα δοθείη.

Pro *ἀπαιτίζοντες ἕως* editis: *ἀπαιτίζονθ' ἧος*. At ego in forma *ἕως* acquiescendum censeo potius quam Telemachum introducamus cum matre per insulam currentem singulosque adeuntem incolas ut in integrum restituatur. Telemachus *προσαιτῶν λιπαρῶν τε*, et *ἐλεινὸς καὶ πτωχός* Euripide dignum inventum sit, non est dignum vetusto vate epico.

146 sqq. Postquam dicendi finem fecit Telemachus

τῷ δ' αἰετὼ εὐρύϜοπα Ζεὺς
ὑψόθεν ἐκ κορυφῆς ὄρεος προέηκε πέτεσθαι.
τὼ δ' ἕως μέν ῥ' ἐπέτοντο ἅμα πνοιῇσ' ἀνέμοιο,
πλησίω ἀλλήλοισι τιταινομένω πτερύγεσσι·
ἀλλ' ὅτε κτἕ.

Ingratam esse vocabuli *ἕως* synizesin libenter concedo, neque *ἕως* idem quod *τέως* valere posse equidem crediderim. Praestat tamen vulnera illa non tangere quam eiusmodi ad-

hibere medicinam quae sententiae structuram corrumpat. Itaque neque Nauckii lectionem

τὼ τῆός ῥ' ἐπέτοντο

probare possum, neque vestram

τῆος μέν ῥ' ἐπέτοντο.

Aegre enim particula μέν careamus; pronomen vero omitti prorsus nequit.

LIBER III.

26 sqq. Verba Minervae ad Telemachum haec sunt:

Τηλέμαχ', ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται· οὐ γὰρ ὀίω
οὔ σε θεῶν ἀϝέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.

Si verum est quod annotatis hoc uno loco iterari negationem, et quin verum sit non dubito: quae enim conferri posse tamen dicitis

Δ 512: *οὐ μὰν οὐδ' Ἀχιλεύς κτέ.* vel
B 703: *οὐδὲ μὲν οὐδ' οἵ ἄναρχοι ἔσαν*

diversissimi sunt generis. Si ita res se habet hic *ἦ γὰρ ὀίω* legendum erit. Cf. *A*, 78: *ἦ γὰρ ὀίομαι* et *E*. 278: *ἦ μάλα σ' οὐ βέλος ὠκὺ δαμάσσατο.*

113 sq. Mentione facta virorum fortissimorum, qui in bello Troiano ceciderunt, haec addit Nestor:

ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τοῖς 'πάθομεν κακά· τίς κεν ἐκεῖνα
πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων;

Non tam displicet forma novicia *ἐκεῖνα* (cum praesertim altera forma novicia *τοῖς* nullo modo emendari possit) quam iuncta ista *ἐκεῖνα πάντα γε*, quae ubertas praestantiam loci plane pessumdat. Quid enim senem singultantem magis quam loquentem minus decet quam putida diligentia quae in

illis est verbis? Igitur utique istud *ἐκεῖνα* corruptum censeo, atque ita corrigendum ut evadat oratio Nestore eiusque dolore digna. Quid si scribamus: *τίς κεν ἔπειτα πάντα γε μυθήσαιτο.* Sic Nestoris verba acerbitatem quandam habebunt aptissimam recordationi malorum quae unum illud funestum bellum attulerit. Nam *ἔπειτα* non semper habere vim mere temporalem hi ex Iliade loci docent:

A, 547: *ἀλλ' ὃν μέν σ' ἐπιϝεικὲς ἀκουέμεν', οὔ τις ἔπειτα*
οὔτε θεῶν πρότερος τὸν ϝείσεται οὔτ' ἀνθρώπων.

E, 684: *Πριαμίδη, μὴ δή με ϝέλωρ Δαναοῖσιν ἐάσῃς*
κεῖσθαι, ἀτάρ μ' ἐπάμυνον. ἔπειτά με καὶ λίποι αἰὼν
ἐν πόλι' ὑμετέρῃ.

O, 49: *εἰ μὲν δὴ σύ γ' ἔπειτα, βοῶπις πότνια Ἥρη,*
ϝῖσον ἐμοὶ φρονέουσα μετ' ἀθανάτοισι καθίζοις,
τῷ κε Ποσειδάων γε, καὶ εἰ μάλα βούλεται ἄλλῃ,
αἶψα μεταστρέψειε νόον μετὰ σὸν καὶ ἐμὸν κῆρ.

T, 112: *Ζεὺς δ' οὔ τι δολοφροσύνην ἐνόησε,*
ἀλλ' ὄμοσεν μέγαν ὅρκον, ἔπειτα δὲ πολλὸν ἀάσθη.

X, 49: *ἀλλ' εἰ μὲν ζώουσι μετὰ στρατῷ, ἦ κεν ἔπειτα*
χαλκοῦ τε χρυσοῦ τ' ἀπολυσόμεθ', ἔστι γὰρ ἔνδον.

Ω, 296: *εἰ δέ τοι οὐ δώσει ἐϝὸν ἄγγελον εὐρυϝόπα Ζεύς,*
οὔ κεν ἐγώ γέ σ' ἔπειτα ἐποτρύνουσα κελοίμην
νῆας ἔπ' Ἀργείων ἴμεναι, μάλα περ μεμαῶτα.

Quibus omnibus *ἔπειτα* toti sententiae *ἦθος* quoddam praebet narrationi vel loquentis menti accommodatum. His vero eum animi affectum significat quem nostro loco Nestoris esse minime miremur: indignationem dico et acerbitatem. [1])

---

[1]) In Codice Pal. (Heid. 45) vocabuli *ἐκεῖνα* ultima syllaba altera manu est adscripta. Quae res fortasse sic explicari potest: codicem illum qui scripsit in suo exemplari habebat *ἔπειτα* sed, id quod facile fieri potuit, pro litera *π* legebat *κ*. Cum autem ultimam scripturus esset syllabam videbat nunc nasci vocabulum, quod nusquam esset gentium, *ἐκειτα*. Neque tamen mutare quidquam ausus est, neque istud *τα*, quae ei videbatur morbi sedes, addere; deinde lector minus anxius vocabulum utcunque explevit. Sed parvi facio huiuscemodi argumenta.

B, 391: ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ ϝοι ἔπειτα
ἄρκιον ἐσσεῖται, φυγέμεν κύνας ἠδ' οἰωνούς.

E, 811. Diomedem quasi ignavum increpans Agamemnon, qualis vir pater eius fuerit narrat. Tum sic pergit:

ἀλλά σε' ἢ κάματος πολυάιξ γυῖα δέδυκεν
ἤ νύ σέ που δϝέος ἴσχει ἀκήριον· οὔ σύ γ' ἔπειτα
Τυδέος ἔκγονός ἐσσι δαΐφρονος Οἰνεΐδαο.

K, 164. Nestorem noctu per castra ambulantem ut duces e somno excitet sic reprehendit Diomedes:

σχέτλιός ἐσσι, γεραιέ· σὺ μὲν πόνου οὔ ποτε λήγεις.
οὔ νυ καὶ ἄλλοι ἔασι νεώτεροι υἷες Ἀχαιῶν,
οἵ κεν ἔπειτα ϝέκαστον ἐγείρειαν βασιλήων;

M, 231. Polydamantis consilium gravem Hectoris iram provocat. Itaque sic eum alloquitur:

Πουλυδάμαν, σὺ μὲν οὐκέτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις·
ϝοῖσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.
εἰ δ' ἐτεὸν δὴ τοῦτον ἀπὸ σπουδῆς ἀγορεύεις,
ἐξ ἄρα δή τοι ἔπειτα θεοὶ φρένας ὤλεσαν αὐτοί.

269 sqq. De Clytaemnestra ab Aegistho corrupta sic Telemacho Nestor narrat: „primum illa Aegisthi blanditiis aurem praebere nolebat: ipsa enim bona erat indole praedita, et aderat ei cantor quidam, cui Troiam proficiscens uxorem commiserat Agamemnon. Sequitur:

269 ἀλλ' ὅτε δή μιν μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι,
δὴ τότε τὸν μὲν ἀοιδὸν ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην
κάλλιπεν οἰωνοῖσι ϝέλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι·

Dubitatur quis sit ille quem μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι et quo sensu illud hic dicatur. Duplicem vos rationem commendatis, ut aut μιν ad Aegisthum sit referendum isque Clytaemnestram ducendo certam sibi parare perniciem dicatur, aut ad ipsam Clytaemnestram, quae fato coacta amatori cesserit:

atque hoc vobis probatur magis. Mihi vero persuasissimum est neutrum verum esse posse. Ubi enim μοῖρα dicitur efficere ut aliquis δαμήῃ, non possum non cogitare de aliquo homine diem supremum obeunte, eaque sententia tam firmiter se mihi obtrudit, ut qui aliter verba illa accipiat orationi Homericae vim facere videatur. Cum Nitzschio ergo de cantore versum accipio. Cuius sententia nescio an magis etiam quam iis quae hactenus diximus hoc confirmetur argumento quod tamquam avium praeda relinqui potest nemo qui non prius sit fato functus. Cantorem autem diem supremum obiisse nusquam legeretur si vel Aegisthus vel Clytaemnestra illo μιν significaretur. In subiecti autem mutatione nihil est quod Nitzschii refellat interpretationem, siquidem post sententiam illam relativam

ᾧ πόλλ' ἐπέτελλε
Ἀτρεΐδης Τροίηνδε κιὼν εἰρῦσθαι ἄκοιτιν.

qui eum legit fato functum, non potest non de ipso cogitare cantore, qui satis diu Aegisthi obstiterit insidiis. Neque quis mortuum eum in insulam avexerit ibique dilaniandum reliquerit alitibus quisquam dubitabit [1]). Et quod vos molestum esse dicitis τὸν ἀοιδόν vs. 270, id mihi lepidissimum venustissimumque videtur. Ista enim obiecti repetitione egregie depingitur impii tyranni temeritas, qui molestum adversarium exspectatum eiiciat foras, et tandem aliquando illo liberatus ne moram quidem iusti funeris ferre possit.

---

[1]) Rem versione Latina illustrabo: „Clytaemnestra primum corrumpi se ab Aegistho passa non est: neque enim ipsa pravi erat ingenii et semper ei aderat cantor, cuius fidei ab Agamemnone proficiscente fuerat concredita. Quem postquam fatum demisit Orco, in insulam desertam cantorem istum (hoc enim est in illo τόν) avexit ibique dilaniandum reliquit avibus: tum nullo negotio Clytaemnestram uxorem duxit." Quis hic de verborum dubitabit subiectis? Quis impeditam sententiae structuram queretur?

LIBER IV.

625 sqq. *μνηστῆρες δὲ πάροιθεν Ὀδυσσῆος μεγάροιο*
δίσκοισιν ’τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες
ἐν τυκτῷ δαπέδῳ, ὅθι περ πάρος, ὕβριν ἔχοντες.

Sic vos editis, spreta altera lectione *ἔχεσκον* pro *ἔχοντες*. Tamen adiecto illo *ὕβριν ἔχοντες* mihi quidem structura nasci videtur ab oratione Homerica quam alienissima. Sed hoc quoniam ad aures pertinet, argumentis demonstrare aliter sentientibus ne conabor quidem. Illud vero quis aequo animo ferat, cum praecedat versus vocibus *αἰγανέῃσιν ἱέντες* clausus, sequentem quoque versum in participium exire?

638 sq. Dum ludunt proci accedit ad eos Noëmon, cuius nave profectus est Telemachus, deque illius ad Nestorem itinere certiores eos facit. Sequitur:

ὣς ἔφαθ᾽, οἱ δ᾽ ἀνὰ θυμὸν ἐθάμβεον· οὐ γὰρ ἔφαντο
ἐς Πύλον οἴχεσθαι Νηλήϊον,

Corruptus haud dubie hic locus: infinitivus enim *οἴχεσθαι* subiecto carere non potest; sed illud a vobis propositum *ἔφαν τόν* ingratissimum durissimumque videtur. Veram lectionem alterius vitii observatio sponte suggeret. Nonne enim absurdi aliquid inest in hac sententiarum copulatione: „obstupuerunt: non e n i m credebant eum Pylum abiisse"? Quasi vero ipsum

illud n o n c r e d e r e efficere potuerit ut obstupescerent proci. Verum lege

ὣς ἔφαθ', οἱ δ' ἀνὰ θυμὸν ἐθάμβεον· ο ὐ δ έ Ϝ' ἔ φ α ν τ ο
ἐς Πύλον οἴχεσθαι Νηλήϊον·

desideratum illud subiectum admodum eleganter restitutum erit et omnia recte inter se erunt iuncta. Quid enim magis ipsi convenienter naturae dictum erit quam hoc: „obstupuerunt neque fidem habebant"?

681 sqq. Medon auditis insidiis, quas Telemacho in patriam redeunti proci struunt, ad Penelopen properat; quem illa accedentem sic interrogat:

κῆρυξ, τίπτε δέ σε πρόεσαν μνηστῆρες ἀγαυοί;
ἦ εἰπέμεναι δμωῇσιν Ὀδυσσῆος θείοιο
Ϝέργων παύσασθαι, αὐτοῖσι δὲ δαῖτα πένεσθαι;
μὴ μνηστεύσαντες μηδ' ἄλλοθ' ὁμιλήσαντες
ὕστατα καὶ πύματα νῦν ἐνθάδε δειπνήσειαν.

Quam ultimorum versuum versionem exhibetis: „utinam ne uxorem me peterent neque omnino me viserent, sed hodie ultimum hic coenarent", eam equidem probare nequeo. Non enim aliter eos vertere licet quam sic: „utinam ultimum nunc hic coenarent, neque me in matrimonium petita neque alio tempore mecum congressi". Haec tamen sensu cassa esse libentissime vobis concedo. Quae enim ista est oppositio: μνηστεύσαντες et ἄλλοθ' ὁμιλήσαντες, et quid omnino sibi istud ἄλλοτε vult? Quid quod ii qui aliquam mulierem nunquam uxorem petierunt, nunquamque cum ea sunt congressi neque proci sunt neque dici possunt. Cur viris quos nunquam viderit perniciem imprecetur Penelope? Sed aptum sensum ex illo μὴ ... ὁμιλήσαντες neque ego extundo neque, si quid video, extundet quisquam. Inseruit enim ineptissimum versum imperitus interpolatur, qui subitum illum transitum ab interrogatione ad imprecationem non concoqueret. Sed quamvis inepta sit medicina

ab eo adhibita, morbum tamen acute detexit. Quis enim non offenditur structura tradita, quam qui propter digamma neglectum et synizesin ita mutarunt ut pro ἢ εἰπέμεναι legerent ϝειπέμεναι multo reddiderunt duriorem. Laudandi ergo qui ἢ ϝειπεῖν legendo istud ἢ revocarunt ab exsilio. Sed ne illud quidem verum videtur. Scripsisse enim poëtam arbitror:

εἰ ϝειπεῖν δμῳῇσιν Ὀδυσσῆος θείοιο
ϝέργων παύσασθαι, αὐτοῖσι δὲ δαῖτα πένεσθαι,
ὕστατα καὶ πύματα νῦν ἐνθάδε δειπνήσειαν.

Nihil iratam Penelopen decere magis videtur quam hoc: „si huc venis ut ancillas parare coenam procis iubeas, o utinam suprema illa eorum coena sit!" Ex εἰ εἰπεῖν primum natum est εἰπεῖν, deinde cetera omnia vitia.

710. Vera causa cur Medon advenerit cognita, flebiliter Penelope rogat: „cur filius meus iter illud maritimum periculi plenum suscepit?"

ἦ ἵνα μηδ' ὄνομ' αὐτοῦ ἐν ἀνθρώποισι λίπηται;

Semper mihi corruptelae oritur suspicio cum apud Homerum αὐτοῦ αὐτῷ et similia tamquam pronomina personalia (eius, ei) lego. Quare et hic correctione opus esse opinor. Propono autem:

ἦ ἵνα μηδ' ὄνομ' αὐτὸ ἐν ἀνθρώποισι λίπηται;

ne nomen quidem ipsum: hoc est quod hic requiritur.

732 sqq. εἰ γὰρ ἐγὼ 'πυθόμην ταύτην ὁδὸν ὁρμαίνοντα,
τῷ κε μάλ' ἤ κεν ἔμεινε καὶ ἐσσυμένος περ ὁδοῖο,
ἤ κέ με τεθνηυῖαν ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπε.

Penelopes ad ancillas verba sunt quibus de Telemachi narravit profectione. Displicere vobis imperfectum ἔλειπε post aoristum ἔμεινε minime miror, non receptam a vobis Cobeti coniecturam ἔμιμνε pro ἔμεινε valde miror. Annotatis enim, illa commemorata: „nos tamen, modo sineret metrum, prae-

ferremus ἔμεινε . . . ἔλιπε." At id quod vos requiritis omne inest in Cobetiana lectione, siquidem ἔμιμνεν et ἔλειπεν plusquam-perfectorum vicem implent. Cum enim Penelope dicit: ἤ κεν ἔμιμνε Τηλέμαχος ἤ κέ με τεθνηυῖαν ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπε hoc dicit: „aut etiamnunc hic adesset, aut ego sola hic restarem sed non viva". Cf. λ 178:

ἠὲ μένει παρὰ παιδὶ καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσει,
ἦ ἤδη μιν ἔγημεν Ἀχαιῶν ὅς τις ἄριστος;

i. e.: „etiamne est domi meae an inde iam abduxit eam novus maritus?" (vide etiam vs. 181).

Et Ω 725: ἆνερ, ἀπ' αἰῶνος νέος ὤλεο, κὰδ δέ με χήρην
λείπεις ἐν μεγάροισι.

i. e.: „tu occidisti, ego nunc remaneo vidua."

Priore loco μένει, altero λείπεις vim habet perfecti; recte ergo utrumque sibi adiunctum habet praeteritum.

737 sqq. Postquam satis ancillas reprehendit Penelope quod de Telemachi profectione ipsam non fecerint certiorem, „agitedum" ait, Dolium servum meum senem huc arcessite"

ὄφρα τάχιστα
Λαέρτῃ τάδε πάντα παρεζόμενος καταλέξῃ,
εἰ δή πού τινα κεῖνος ἐνὶ φρεσὶ μῆτιν ὑφήνας
ἐξελθὼν λαοῖσιν ὀδύρεται, οἳ μεμάασι
ϝὸν καὶ Ὀδυσσῆος φθῖσαι γόνον ἀντιθέοιο.

Ad οἵ, quod vs. 740 legitur, annotatis: „de toto populo minus accurate dicitur". Rectissime, ut opinor: iniuria totus populus dicitur perniciem Ulyssis genti moliri. Neque iniquus solum sit Laërtes, si eiusmodi aliquid toti populo obiiciat sed etiam insanus. Qui enim convocato (nam hoc praecedere debet) toto populo ὀδύρεται aliquid, illum lamentari de insidiis sibi familiaeque suae structis, non ab eodem illo populo sed a certis quibusdam hominibus sponte intelligimus. Pro illo igitur οἵ alii alia coniecerunt. Verum, nisi ego plane caecutio, fit hic

quod tam saepe in antiqua poësi epica fieri videmus, praesertim in Odyssea, ut in una aliqua vocula haereant viri docti cum totus locus, ubi illa legitur, sit ineptissimus. Pro pronomine enim *οἵ* aliquo scripto vocabulo, quod melius veritati reique de qua agitur conveniat, quid profectum erit? Sanane erunt cetera? Immo vero restabit id quod longe ineptissimum est. De calamitate qua ipsa est afflicta Laërtem certiorem fieri vult Penelope *εἰ δή που*.... Sequi nunc debet id quod ab illo consilio exspectat tristis mulier. Sequitur autem:

(*εἰ δή πού*) *τινα κεῖνος ἐνὶ φρεσὶ μῆτιν ὑφήνας*....

Iam hoc ineptum a sene decrepito callidum aliquod exspectare malorum remedium, quod ipsi mulieri omnium astutissimae in mentem venire non possit. Verum concedamus fieri posse ut senex excogitet id quod iuniores fugiat omnes. Ipsa addit Penelope cuiusmodi illud consilium sit futurum. Quidni ergo potius eum illius admonet ne forte senile ingenium fingat aliquid quod multo minus sit utile? Hoc quoque mittamus, de ipso videamus consilio: *ἔξεισιν ὁ γέρων*, e villula sua prodibit. Mira hercle calliditas! Et populares obsecrabit obtestabiturque. En lepidum inventum Ulyssis patre dignum! Non ergo in uno vocabulo *οἵ* vitium inest sed tres versus (739—741) insanabili laborant morbo, utpote sub tristissimo nati sidere: effutiit enim eos sciolus qui contentus non esset iis quae antiquus vates dederat. Ille tamen prudentissime in verbo *καταλέξῃ* finem fecit, sibique persuasissimum habuit neminem iam fore qui quidquam desideraret. Hoc enim accepto nuntio Laertes, quamvis sit eius mens annis tarda, tamen statim perspiciet quid sui sit iuris officiique: cum enim abierit neque unquam sit reversurus filius et occisus nepos, ipse iam solus restat qui prohibeat quominus filii bona cumque illis uxorem a filio domi relictam proci rapiant. Qui si illum non curarint gravissima se alligaverint culpa, neque recusare poterunt quominus legum impudentissime violatarum iustas dent poenas. Sed solus

poëtaster, cui tres illi debentur versus, nihil hic intellexit. Hoc quoque accedit quod mox Euryclea, dum heram a proposito abducere conatur, haec dicit:

μηδὲ γέροντα κάκου κεκακωμένον. οὐ γὰρ ὀίω
πάγχυ θεοῖς μακάρεσσι γονὴν Ἀρκεσσιάδαο
ἔχθεσθ', ἀλλ' ἔτι πού τις ἐπέσσεται ὅς κεν ἔχῃσι
δώματά θ' ὑψόροφα καὶ ἀπόπροθι πίονας ἀγρούς.

Quorum sensus hic est: „noli senem satis iam miserum terrere nuntio tristissimae rei, quam ne eventuram quidem ego arbitror: evitatis enim procorum insidiis mox salvus huc aderit filius tuus patri heres suus''; ita ut sene Laërte, qui procos, iam in bona eius tamquam caduca irruentes, auctoritate sua repellat, opus non sit. Sed populum a Laërte convocari atque illius opem implorari non vetat anus, quandoquidem nil tale dicentem dominam audivit.

758. Relata Eurycleae ad Penelopen oratione sic pergit poëta:

ὣς 'φάτο· τῆς δ' ηὔνησε γόον, 'σχέθε δ' ὄσσε γόοιο.

Acutissime observastis γόοιο post γόον suspectum esse: eiusmodine res fugere potuisse doctorum saecula! Sed semel admoniti ultra iam non feremus tam inepta in vetusto carmine vitia. Quid quod ηὔνησε γόον vix recte dictum videtur. Hoc tamen gravius quod, cum Eurycleae orationis duplex fuerit consilium, altera illius pars hic plane negligitur. Tristis enim fuit Penelope et in lacrimas eruperat; sed et irata, siquidem sic in ancillas est invecta:

σχέτλιαι, οὐδ' ὑμές περ ἐνὶ φρεσὶ 'θέσθε ϝεκάστη
ἐκ λεχέων μ' ἀνεγεῖραι.

Atque iram eius fatendo et nihil dissimulando Euryclea s e d a t: hoc enim verbum Latinum proxime ad Graecum εὐνᾶν, cum metaphorice adhibetur, accedit. Lego ergo χόλον pro γόον.

817 sqq. Dormienti Penelopae simulacrum Iphthimae sororis

a Minerva immissum adstat et quid tristis sit rogat. Cui illa respondens primum de mariti morte conqueritur; tum haec addit:

νῦν αὖ παῖς ἀγαπητὸς ἔβη κοίλης ἐπὶ νηός,
νήπιος, οὔτε πόνων εὖ ϝειδὼς οὔτ' ἀγοράων·
τοῦ δὴ ἐγὼ καὶ μᾶλλον ὀδύρομαι ἤ περ ἐκείνου.
τοῦ δ' ἀμφιτρομέω καὶ δέδϝια μή τι πάθησι,
ἢ ὅ γε τῶν ἐνὶ δήμῳ ἵν' οἴχεται, ἢ ἐνὶ πόντῳ·
δυσμενέες γὰρ πολλοὶ ἐπ' αὐτῷ μηχανάονται,
ϝιέμενοι κτεῖναι πρὶν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι.

Quam utile sit ne levissima quidem negligere brevis quaedam vestra ad hunc locum annotatio docere potest. Molestum enim vobis esse novicium istud *ἐκείνου* pro *κείνου* significatis. Et qui in sermone epico non plane hospes sit libenter vobiscum faciet. Sed semel admonitus porro considerabit rectene habeant cetera omnia. Quod facienti mox ei haec stabit sententia totum locum a putido interpolatore insulsissime esse amplificatum. Primum aegrius etiam quam formam illam *ἐκείνου* bis deinceps in versus initio positum *τοῦ* feret. Deinde secum statuet minime eam esse Penelopen quae sponte hoc dicat: „propter filium magis etiam quam propter maritum doleo." Neque temporis huius illud est neque loci; illud nemo rogat, habetque duri aliquid a loquentis persona plane alienum. Quid quod uno hoc versu excepto Penelope, quae de Ulysse tamquam de mortuo loquitur, filio ne quid accidat timet tantummodo, nequedum desperat de eius reditu. Verum multo gravius deliquit interpolator pulcherrimis versibus

τοῦ δ' ἀμφιτρομέω καὶ δέδϝια μή τι πάθησι,
ἢ ὅ γε τῶν ἐνὶ δήμῳ ἵν' οἴχεται, ἢ ἐνὶ πόντῳ.

inficetos hosce et vitiosos addendo:

δυσμενέες γὰρ πολλοὶ ἐπ' αὐτῷ μηχανάονται,
ϝιέμενοι κτεῖναι πρὶν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι.

Neque enim pronomen personale *αὐτῷ*, neque structura *μηχανᾶσθαι ἐπί τινι* neque defectus accusativi qui verbi *μηχανᾶσθαι*

„obiectum directum" contineat ullo modo ferri potest. Hoc solum dicit Penelope: „filio ne quid accidat metuo sive mari sive in terra peregrinorum." Omnino iter maritimum facienti multa impendent pericula, non mari solum sed etiam cum in ignotam aliquam escendit regionem: saepe enim accidit ut aliquis ad terram appellat ἀγρίων τε καὶ ὑβριστῶν. Hoc quoque tenendum ipsam Penelopen nunquam mentionem facere procorum Telemachi reditum ἐν πορθμῷ Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης speculantium (nam quod versu 766 μνηστῆρας δ' ἀπάλαλκε precatur, hoc dicit: „procos hisce arce aedibus") sive quod illud impium et crudele procorum consilium aetate recentiore antiquo est adiectum carmini, sive quod de eo periculo, quod demum ceteris omnibus evitatis instabit, in praesentia tacet prudens mulier. Quid quod illae insidiae semel deprehensae non magnopere sunt timendae.

831 sqq. Ultima Penelopes ad simulatam illam sororem verba haec sunt:

εἰ μὲν δὴ θεός ἐσσι θεοῖό τε ἔκλυες αὐδήν.

Hic dubius haereo corruptumne locum a librariis putem an inepte errasse poëtam ipsum qui hunc locum composuerit. Quo enim iure Penelope istud εἰ μὲν δὴ θεός ἐσσι dicit? Servavit enim per totum colloquium Minerva Iphthimae figuram, fideliterque et caute ad extremum usque illius sustinuit personam. „Noli" dixit „nimium filio tuo metuere: comitatur eum patronarum optima Minerva, quae nunc me huc misit ut te eius rei facerem certiorem." Dixeris fidem non habere Penelopen τῷ ἐνυπνίῳ sed statim suspicari callidam mulierem eam quae se a Minerva missam dicat ipsam Minervam esse. Nihil eiusmodi suspicione minus esse potest opportunum. Iphthime enim illa Pheris habitat, subitoque nunc Ithacae adest. Quid autem — nam et somniorum quaedam est ratio — verisimilius quam divinitus missam eam esse? Sed mittamus haec, quandoquidem de

somniorum natura certi nihil statuere licet: ipsa Penelopes verba mirifice inter se certant. Quis enim simul deus esse et dei nuntium perferre potest? Hic mihi Mercurii Iridisque opponere nomina nolite: si enim Penelope verum esse non credit illud

Παλλὰς Ἀθηναίη,
ἥ νῦν με προέηκε τεῒν τάδε μυθήσασθαι

ipsam, ut opinor, Minervam adesse suspicatur, non aliam quandam deam. Sed, id quod iam dicebam, nullus hic tali suspicioni locus est; minime vero eam ita enuntiatam fero quasi somnium ipsum disertis verbis deam se esse significaverit. Etenim εἰ μὲν δὴ θεός ἐσσι nihil aliud est quam: „si verum est quod tu dixisti deam te esse." Credo ergo olim hic lectum aliquid fuisse in hanc sententiam: „si revera illa (Iphthime) es et deae audivisti verba." Aut, si tamen contendat aliquis latere hic quandam prudentis mulieris de fraude suspicionem, illa: „dea es" et „deae vocem audisti" disiunctive erant enuntianda, non particula τε inter se iungenda. Videtis iam me, dum scribam, opinionem de ipsius poëtae errore sensim omisisse. Sed nullam propono coniecturam.

844 sqq. ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα
μεσσηγὺς Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης,
Ἀστερὶς, οὐ μεγάλη· λιμένες δ' ἔνι ναύλοχοι αὐτῇ
ἀμφίδυμοι· τῇ τόν γ' ἔμενον λοχάοντες Ἀχαιοί.

Nusquam mihi aliquis vocabuli αὐτός casus tamquam pronomen personale positus minus ferendus visus est quam hic istud αὐτῇ. Sed totus hic locus a recentiore poëta additus videtur, qui sermonem epicum parum accurate cognitum habuerit. Argumento est adiectivum ἀμφίδυμοι quod uno hoc loco invenitur.

LIBER V.

135 sq. Cognito deorum de Ulyssis reditu decreto Calypso gravi dolore tacta et alia lamentatur et haec:

τὸν μὲν ἐγὼ ’φίλεόν τε καὶ ἔτρεφον, ἠδέ ϝ’ ἔφασκον
θησέμεν’ ἀθάνατον καὶ ἀγήραον ἤματα πάντα.

Sic edidistis ad implendum, qui olim inter vocabula *ἠδέ* et *ἔφασκον* fuit, hiatum. Verum, si quid video, non fert syntaxis Graeca eiusmodi obiecti repetitionem: *τὸν* . . . *ϝέ*. Graecum est: *τοῦτον ἐφίλουν ἐγὼ καὶ ἀθάνατον ποιήσειν ἔμελλον*, insertoque *αὐτόν* corrumpitur structura. Quapropter videndum annon praestet lectio *ἠδ’ ἔτ’ ἔφασκον*. Habet enim illud *ἔτι* aliquid huic loco aptissimum, siquidem immortalem fore Ulyssem in votis fuit nymphae: immortalitate eum donare non potest Calypso nisi impetrata Iovis venia, qui non tam facile eiusmodi aliquid concedere solet.

LIBER VI.

244 sq. Conspecto Ulysse, cui Minerva post balneum insolitum praebuit nitorem gratiamque fere divinam, Nausicaa comitibus et alia dicit et haec:

αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη
ἐνθάδε ναιετάων, καί Ϝοι Ϝάδοι αὐτόθι μίμνειν.

Merito ridemus ineptos homines, qui putidae cuiusdam verecundiae studiosi et ne in Nausicaa quidem animi verborumque simplicitatem ferentes hosce versus damnaverint. Neque illorum probanda ratio, qui alterum versum abiiciendum censent; rectissime enim admonetis abruptam nimis fieri puellae orationem si versum

αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη

statim hic excipiat:

ἀλλὰ δότ', ἀμφίπολοι, ξείνῳ βρῶσίν τε πόσιν τε.

Quod autem ad Kratzium provocatis, qui in hunc ferme modum de nostro loco disputavit: „haec ipsa est huius versus venustas quod puella non, ita ut coepit, de ficto quodam marito cogitare et loqui pergit, sed sensim mente et oratione ad ipsum Ulyssem aberrat," hactenus vobiscum facio ut concedam, immo pro certo affirmem, lepidissimam puellam, dum de marito, qui Ulyssi similis sit, loquatur, de ipso tamen Ulysse neque de ullo alio cogitare. Verum nulla unquam venustas

scriptoribus poëtisque Graecis tanti fuit ut eius causa Graeco sermoni vim facerent. Hoc tamen vitium poëtae obtrudunt Kratzius ceterique omnes qui putent pronomine ϝοι hic Ulyssem significari posse. Non enim salva orationis structura locum nostrum aliter quam sic interpretari licet: „o utinam talem haberem maritum, qui hic habitaret quique (postquam me uxorem duxisset) hic manere decerneret." Verba ergo Graeca, quae nunc leguntur, unice apta sunt virgini alicui, quae amore tacta praefecti copiarum maritimarum, illi se nubere velle declaret, dummodo honesta impetrata missione aliquem in ipsis patriae finibus incipiat quaestum familiae sustentandae idoneum: „quem enim esse quamvis egregii mariti fructum, qui vixdum celebratis nuptiis navem conscendat, bellum gesturus cum piratis remotasve gentes subacturus?" Et quoniam non ea fuit Phaeacum vita ut virorum maior pars peregre aetatem degerent, absurdum videtur ita loquentem Nausicaam inducere. Illa, licet eum non nominet vel aperte significet, de solo Ulysse cogitat: qui quandoquidem n o n habitat Scheriae, ad illum non magis quam ad Phaeacum quemquam conveniunt verba:

ἐνθάδε ναιετάων καί ϝοι ϝάδοι αὐτόθι μίμνειν.

Quodsi me rogetis quid mihi, qui ceterorum opiniones refutare sim conatus, verum videatur, leni emendatione opus esse respondeam, qua versus sic refingatur:

ἐνθάδε ναιετάων ἢ ᾧ ϝάδοι αὐτόθι μίμνειν.

Maritum qualis est Ulysses sibi exoptat Nausicaa: ex ipsorum Phaeacum potissimum numero. Sed quoniam talem in insula sua neque vidit unquam neque esse credit, statim addit: „sit licet peregrinus, dummodo hic maneat." Nam et peregrino et mox profecturo se nubere non posse probe intelligit. Nunc nihil dissimulat candida virgo, sed satis simpliciter se ipsius Ulyssis amore tactam indicat. Si cui tamen, Kratzii disputatione permoto, hic t a n t u m n o n n o m i n a n d u s esse Ulysses

videtur, quamquam modum excedere eum censeo (illud enim, licet facile ferri probarique possit, tamen non utique est necessarium) haud tamen recuso quominus pronomen ϝοι retineat. Propter versus a me refícti structuram conferatur ψ 136:

ἢ ἀν' ὁδὸν στείχων ἢ οἳ περιναιετάουσι.

255 sqq. Ulyssem cibo iam potuque recreatum sic Nausicaa alloquitur:

ὄρσεο δὴ νῦν, ξεῖνε, πόλινδ' ἴμεν', ὄφρα σε πέμψω
πατρὸς ἐμοῦ πρὸς δῶμα δαΐφρονος, ἔνθα σε φημὶ
πάντων Φαιήκων εἰδησέμεν' ὅσσοι ἄριστοι.

Hic vos pro vulgato εἰδήσεμεν Herwerdeni recepistis coniecturam ἔτι δηέμεν', quam ingeniosissimam illoque acumine dignam esse lubentissime agnosco; levis tamen quaedam restat dubitatio. Profecto verissimum est quod dicitis alienum hinc esse sciendi verbum, sed non opus est in Latina loci versione illo verbo uti: est enim οἶδα Latine scio, sed etiam novi. Quodsi quis diceret verbum quod est novisse hinc alienum esse, ipsi, ut opinor, errare illum clamaretis. Quid enim huic loco aptius, quid ipsi Ulyssi utilius quam omnes insulae nobiles cognoscere, novisse, notos habere? Ex hac notitia quantum hospiti nasceretur emolumenti, antiquorum hominum nemo ignorabat. Deinde non tam facile ἔτι δηέμεν in εἰδησέμεν potuit corrumpi; neque enim tam inter se similia illa verba sunt, quin scriba non plane caecus statim videat utrum habeat in exemplari suo, et, quoniam mox (vs. 291) legitur δήεις ἀγλαὸν ἄλσος et iterum in vicinia (η 49) δήεις δὲ διοτρεφέας βασιλῆας, vix credibile est quemquam illud ἔτι δηέμεν quid sibi vellet non intelligentem de suo notius dedisse verbum εἰδησέμεν. Tum, quia ceteris Homeri locis nullae aliae occurrunt obscuri illius verbi figurae quam δήεις, δήομεν, δήετε, equidem hoc uno novam aliquam fingere vix ausim. Sed hoc mitto: in sententia, quam Herwerdeni coniectura hisce versibus

praebet, est aliquid quod displiceat. Quorsum enim istud ἔτι? Et nolite provocare ad versus η 136—138:

> ηὗρε δὲ Φαιήκων ἡγήτορας ἠδὲ μέδοντας
> σπένδοντας δεπάεσσιν ἐϋσκόπῳ ἀργεϊφόντῃ,
> ᾧ πυμάτῳ 'σπένδεσκον, ὅτε μνησαίατο κοίτου

nolite, inquam, sic me refellere conari: „invenit Ulysses Alcinoi convivas, ultimam facientes libationem, ergo iamiam abituros sed tamen etiamtum praesentes; illud autem omne nostro loco uno vocabulo ἔτι aptissime significatur." Nam primum, si recte dicitur εὗρε τοὺς Ἀλκινόου φίλους ἔτι παρόντας, etiamne Graecum videtur ἔτι εὑρήσεις αὐτούς illo sensu positum? Non opinor, sed quemadmodum οὐκέτι δήετε τέκμωρ Ἰλίου αἰπεινῆς est: „non iam fieri potest ut Troiam expugnetis, praeteriit huius rei tempus atque facultas," ita ἔτι δήεις vel εὑρήσεις τούτους τοὺς ἄνδρας est: „erit aliquando dies ille quo eos invenias".[1]) Deinde cur libro septimo Minerva sic Ulyssem alloquatur:

> οὗτος δή τοι, ξεῖνε πάτερ, δόμος, ὅν με κελεύεις
> πεφραδέμεν· δήεις δὲ διοτρεφέας βασιλῆας
> δαίτην δαινυμένους

probe intelligimus: amicum quodammodo periculi cuiusdam instantis admonet, ne illo perterreatur. Qui enim ignotos sibi adit homines hospitium opemque petiturus, si illos non solos invenit sed cum magno convivarum coenantes numero, metus est ne inexspectato spectaculo sic perturbetur, ut allocutio, quam antea sedulo sit meditatus, menti eius excidat. Sed Minerva Ulyssem periculi admonet iam ante fores stantem statimque addit:

> σὺ δ' ἔσω κίε μηδέ τι θυμῷ
> τάρβεε· θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων

quae verba vel maxime verum esse demonstrant id quod modo dicebam de Minerva Ulyssem adversus periculum confirmante.

---

[1]) Belg.: „gij zult ze nog wel eens vinden".

Nausicaa vero, si novam lectionem probamus, certiorem tantummodo facit Ulyssem de convivarum praesentia. Cur, quaeso. Properabitne Ulysses cognito nunc etiam esse Alcinoi domi convivas sed haud diu ibi mansuros? Immo vero aliquanto diutius. quam ad rumusculos illos, Nausicaae invisos, vitandos opus est prope fontem sibi indicatum desidebit. Nam hoc quoque e Nausicaa audit, ante omnia sibi opus esse reginae, Nausicaae matris, patrocinio: ad quam accedere ut genua eius amplectatur facillime poterit dum sola sedet vel cum uno marito. Convivae vero, etiamsi eos non timeat, tamen appropinquanti obstabunt vel etiam ignotum hominem aditu arcere conabuntur. Quamdiu illi adsunt Minervae nube opus erit; profectis iam carere ea Ulysses poterit. Ergo aut nihil interest Ulyssis etiamne adsint convivae an ex aedibus Alcinoi exierint, aut hoc magis e re eius est quam illud. Si non ipso adventus tempore, at postridie mane ibidem Phaeacum senatores videbit, quos cognitos habere magnopere ei proderit; idque patris sui domi fieri posse, immo futurum esse, consulto prudens addit puella ne facere quod iubeatur hospes dubitet. Nihil ergo mutandum censeo ne pereat illud „cognitos habebis."

LIBER VII.

Ter in hoc libro pronominis *αὐτός* formas ea ratione adhibitas video quae plane abhorreat a vetusto sermone epico:

8 sqq. *θαλαμηπόλος Εὐρυμέδουσα,*
τήν ποτ' Ἀπείρηθεν νέες ἤγαγον ἀμφιϝέλισσαι·
Ἀλκινόῳ δ' αὐτὴν γέρας ἔξελον.

19 sqq. *ἔνθα ϝοι ἀντεβόλησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη*
παρθενικῇ ϝεϝικυῖα νεήνιδι, κάλπιν ἐχούσῃ.
'στῆ δὲ πρόσθ' αὐτοῦ.

245 sqq. *ἔνθα μὲν Ἄτλαντος θυγάτηρ δολόεσσα Καλυψὼ*
ναίει ἐυπλόκαμος, δϝεινὴ θεός, οὐδέ τις αὐτῇ
μίσγεται οὔτε θεῶν οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων.

16 sq. Superiniecit Ulyssi nubem Minerva
μή τις Φαιήκων μεγαθύμων ἀντιβολήσας
κερτομέοι ϝε ϝέπεσσι καὶ ἐξερέοιθ' ὅτις εἴη.

Omnino satis insulsa est tota de nube illa narratio, quam recentior poëta addidit, corrumpi isto fuco venustam antiqui carminis simplicitatem neque sentiens neque curans. Illo tamen ineptior fuit homo qui versibus citatis nubis rationem exponere est conatus. Excogitasse aliquid Ulyssis patronam ne procaces Ithacenses molestias ei exhibere possent intelligimus; sed quid attinebat miraculo illo prohibere quominus eum *quis esset*

rogarent? Responderet Ulysses: *Εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης.* Quid tum postea?

32 sqq. Ne quemquam obviam venientium alloquatur Ulyssem Minerva monet hoc argumento:

οὐ γὰρ ξείνους οἵδε μάλ' ἀνθρώπους ἀνέχονται
οὐδ' ἀγαπαζόμενοι φιλέουσ'. ὅς κ' ἄλλοθεν ἔλθῃ·
νηυσὶ θοῇσιν τοί γε πεποιθότες ὠκείῃσι
λαῖτμα μέγ' ἐκπεράουσιν, ἐπεί σφισι 'δῶκ' ἐνοσίχθων·
τῶν νέες ὠκεῖαι ὡς εἰ πτερὸν ἠὲ νόημα.

Elumbem esse versum 34, minimeque ferendum *νηυσὶ θοῇσι— ὠκείῃσι* vobiscum sentio. Verum nolite hic quidquam tentare. Quid enim non potuit delinquere poëtaster qui versus istos 34—36 adiecerit? Quae enim intercedit ratio inter odium peregrinorum et usum peritiamque navigandi? Equidem semper putavi quo quisque plura longioraque itinera, maritima praesertim, faciat, eo magis eum *φιλάνθρωπον* fieri, cum expertus sit nihil praestare hominibus qui benigne excipere soleant peregrinos longa navigatione fessos fractosque.

69 sqq. „Nulla mulier" Minerva ait de Arete Alcinoi uxore narrans „in tanto est honore."

ὣς κείνη περὶ κῆρι τετίμηταί τε καὶ ἔστι
ἔκ τε φίλων παίδων ἔκ τ' αὐτοῖ' Ἀλκινόοιο
καὶ λαῶν, οἵ μίν ῥα θεὸν ὣς εἰσοράοντες
δεδϝέχαται μύθοισιν, ὅτε στείχῃσ' ἀνὰ ϝάστυ.
οὐ μὲν γάρ τι νόου γε καὶ αὐτὴ δεύεται ἐσθλοῦ,
ϝῇσί τ' ἐπιφροσύνῃσι καὶ ἀνδράσι νείκεα λύει.

Vocabula *τε καὶ ἔστι* corrupta esse non, ut alii quidam faciunt editores, dissimulatis, sed hanc proponitis evidentis morbi medicinam ut deleto versu 70 pro *τε καὶ ἔστι* legatur *τεκέεσσι* et (vs. 71) *καὶ λαοῖσ'* pro *καὶ λαῶν*. Sed neque lenis est medicina, neque aptum huic loco vocabulum *τεκέεσσι* (dicendum enim

erat *νἱάσι*), neque populo filiisque commemoratis ipse Alcinous silentio praeteriri potest, cum praesertim praecedat *Ἀλκίνοος … μιν ἔτισε*. Hoc tamen gravius quod neque perfecto *τετίμηται* neque aoristo *ἔτισε* affectus quidam mariti ceterorumque omnium erga Areten significatur, sed res quaedam certo tempore factae dicuntur, quarum fructum nunc etiam Arete percipiat. Eo ergo loco, ubi nunc *τέ και ἔστι* legitur, equidem aliquem requiro ablativum instrumentalem h o n o r e s indicantem olim in reginam collatos. Ecquid *γεράεσσι*? Dixeritis nusquam apud Homerum illum exstare dativum, sed omnino rarus est huius substantivi in plurali usus. Nam si quis mihi verba *περὶ κῆρι* opponat facile illud obstaculum removeam. Sive enim verbo *τετίμηται* eiusmodi ablativus, qualem ego volo, additur sive non additur, tamen cum semel in perfecto positum illud sit, adiunctum sibi habere *περὶ κῆρι* non potest quin vera illorum vocabulorum vis aliquomodo negligatur: affectuum enim sedes *τὸ κέαρ*. Verum formulae instar istud *περὶ κῆρι* videtur, quae sponte ad verba quale est *τιμᾶν* accedat etiam cum abesse eam malimus. Deinde vs. 74 particula *τε* vix ferenda videtur proque ea reponendum *δέ*: „non deest reginae sapientia, s e d (*μὲν .. δέ*) saepe propter prudentiam etiam ad virorum controversias dirimendas vocatur.“

146 sqq. Complexus reginae genua sic eam alloqui Ulysses incipit:

> *Ἀρήτη, θύγατερ Ῥηξήνορος ἀντιθέοιο,*
> *σόν τε πόσιν σά τε γοῦναθ' ἱκάνω πολλὰ μογήσας,*
> *τούσδε τε δαιτύμονας, τοῖσιν θεοὶ ὄλβια δοῖεν*
> *ζωέμεναι, καὶ παισὶν ἐπιτρέψειε ϝέκαστος*
> *κτήματ' ἐνὶ μεγάροισι γέρας θ', ὅ τι δῆμος ἔδωκε.*

Corruptum puto *ζωέμεναι*, quia ille demum recte infinitivus substantivo quale est *ὄλβια* adhaeret qui cum praepositione *ἐν* compositus est, ut hoc dicatur: „spero fore ut hisce convivis dii

bona dent in quorum abundantia vivant". Nunc vero soloecismo laborat locus. Propono ergo pro ζωέμεναι lectionem ζώουσιν, quae elegantiae haud parum habere videtur: „spero fore ut divitias illis largiantur dii, quam diu vivunt: post mortem vero eorum illae non ad ignotos perveniant heredes sed ad suos."

201 sq. *αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργὲς*
ἧμιν, ὅτε Ϝέρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας.

Cogitanti de locis qualis est:

τίπτε Θέτις τανύπεπλος ἱκάνεις ἡμέτερον δῶ
αἰδοίη τε φίλη τε; πάρος γε μὲν οὔ τι θαμίζεις

non videtur sanum esse posse *αἰεί τὸ πάρος*. Sed quid agam nescio.

LIBER VIII.

16 sq. καρπαλίμως δ' ἔμπληντο βροτῶν ἀγοραί τε καὶ ἕδραι ἀγρομένων.

Quamquam ne mihi quidem magnopere forma ἔμπληντο (pro ἐμπλήατο) placet, tamen illud vitiorum quibus hic locus laborat multo videtur levissimum. Quid enim? Multane fora complentur unius contionis causa? Miseret ergo me regis qui illam habet: nam in qua urbe multa fora sunt ibi eorum aliquot remota a ceteris esse solent. Et quae est ista oppositio ἀγοραί τε καὶ ἕδραι: fora et sedes? Hoc vero absurdissimum quod plena illa fieri legimus non ἀγρομένων sed βροτῶν ἀγρομένων: quasi vero apud Phaeacas non hominum sed ovium boumque contiones haberi sint solitae. Sed omnia illa vitia tolluntur si emendatione non admodum violenta legimus:

καρπαλίμως δ' ἐμπλήαθ' ὁμῶς ἀγορή τε καὶ ἕδραι ἀγρομένων.

Rectissime enim inter se opponuntur ἕδραι et ἀγορά in singulari: senes nobilioresque certas sibi habent sedes, ceteri omnes stant per forum dispersi.

161—167. Ulyssem, qui ad certamina invitantibus Phaeacensibus corporis defetigationem animique tristitiam excusavit,

ludibrio habet Euryalus et „non miror te nobiscum certare nolle; non enim similis es viro in certaminibus versato.“

ἀλλὰ τῷ, ὅς θ' ἅμα νηὶ πολυκλήιδι θαμίζων,
ἀρχὸς ναυτάων οἵ τε πρηκτῆρες ἔωσι,
φόρτου τε μνήμων καὶ ἐπίσκοπος εἶσιν ὁδαίων
κερδέων θ' ἁρπαλέων.

Sanane haec putatis? Mihi corruptissima videntur. Quantopere enim impedita totius sententiae structura abhorret ab epici sermonis simplicitate. Ubi est pronominis ὅς praedicatum? An in εἶσιν inest, ut sententiae relativae verbum, interiecta alia sententia relativa, tres fere versus absit a subiecto? Quid deinde est θαμίζειν ἅμα νηΐ? Nam ipsum θαμίζειν verbum significat: „frequenter aliquo venire.“ Sed omnia fere vocabula aut obscurissima sunt aut ineptissima. Quapropter nullam propono emendationem sed pauca quaedam eaque gravissima vitia indicasse sat habeo.

208 ξεῖνος γάρ μοι ὅδ' ἐστι· τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο;

Haec vos sic refingitis

ξεῖνος γάρ μοι ὅδε· τίς κεν φιλέοντι μάχοιτο;

scilicet ut particula ἄν tollatur eiusque locum κεν occupare possit. Sed quid prodest levissimum aliquod removere mendum cum tota oratio, qua Ulysses victis in disci certamine omnibus Phaeacensibus, gloriabundus admirantium turbam alloquitur, plena sit ineptiarum? Nihil vero in illa minus ferendum quam versuum qui statim sequuntur

ἄφρων δὴ κεῖνός γε καὶ οὐτιδανὸς πέλετ' ἀνήρ,
ὅς τις ξεινοδόκῳ ἔριδα προφέρηται ἀέθλων
δήμῳ ἐν ἀλλοδαπῷ· ϝέο δ' αὐτοῦ πάντα κολούει

abundantia. Mihi credite, illam orationem qui iratis consarcinavit Musis, particularum κε et ἄν utra antiquior esset neque sciebat neque curabat.

LIBER IX.

203 sqq. Nusquam apertius sermonem Homericum inepto pronominis *αὐτόν* usu violatum vidi quam in hisce:

'δῶκε δέ μοι κρητῆρα πανάργυρον, αὐτὰρ ἔπειτα
ϝοῖνον ἐν ἀμφιφορεῦσι δυώδεκα πᾶσιν ἀφύσσας
ϝηδὺν ἀκηράσιον, θεῖον ποτόν· οὐδέ τις α ὐ τ ὸ ν
ἐϝϝείδει δμώων οὐδ' ἀμφιπόλων ἐνὶ ϝοίκῳ.

Numquid legendum: *οὔ τις ἐόντα* ut simul illud *ἐνὶ ϝοίκῳ* habeat quo referatur? Nam nunc inepte „attributi" instar substantivis *δμώων* et *ἀμφιπόλων* adhaeret. Quodsi iungamus *ἐϝϝείδει ἐνὶ ϝοίκῳ* participio quale est *ἐόντα* nequaquam carere possimus. Contra in his:

ϝηδὺν ἀκηράσιον θεῖον ποτόν, οὔ τις ἐόντα
ἐϝϝείδει δμώων οὐδ' ἀμφιπόλων ἐνὶ ϝοίκῳ

pronominis (*ϝε* v. t. a.) absentia egregie decet orationem admirationis plenam.

329 sq. *καὶ τὸ μὲν εὖ κατέθηκα κατακρύψας ὑπὸ κόπρῳ,*
ἥ ῥα κατὰ σπέεος 'κέχυτο μεγάλ' ἤλιθα πολλή.

Sanum esse non posse *μεγάλ'* libentissime vobis assentior; quodque pro eo reponi vultis *μυχόν* lepidissime venustissimeque excogitatum videtur, in textum tamen recipere vix et ne vix quidem ausim. Neque enim Cyclopem in antri sui sordibus

everrendis admodum fuisse diligentem credo, et si tamen interdum illud fecit non fimum per angulum dispersit (quod absurdum), sed in angulum coniecit atque ibi sic coacervavit ut quam minimum locum occuparet. Sed, ut opinor, plerumque per totum antrum disiectus iacebat ille, neque solum κατὰ σπέος sed etiam διὰ σπέεος: ab ipso antri introitu usque ad extremos eius recessus. Deinde quin μεγάλα olim fuerit interpretamentum rarioris vocabuli ἤλιθα non dubito, ut versus hunc habuerit finem optime modulatum audituque suavissimum: 'κέχυτ' ἤλιθα πολλή. Habemus ergo:

ἦ ῥα διὰ σπέεος   'κέχυτ' ἤλιθα πολλή.

Quid autem loco vacuo scriptum fuit? Quid etiam requiritur? Nempe quorum animalium illud fuerit stercus. Hoc in tam accurata antri descriptione vix potuit omitti. Vocabulum autem ipsum nobis suppeditat huius libri vs. 438:

καὶ τότ' ἔπειτα νομόνδ' ἐξέσσυτο ἄρσενα μῆλα.

Legerim ergo

ἦ ῥα διὰ σπέεος μήλων 'κέχυτ' ἤλιθα πολλή

ut nascatur vocabulorum ordo mirum in modum illi similis, quem habemus ρ, 297 sq.

ἐν πολλῇ κόπρῳ, ἥ ϝοι προπάροιθε θυράων
ἡμιόνων τε βοῶν τε ϝάλις 'κέχυτ'.

LIBER X.

10 κνισῆεν δέ τε δῶμα περιστεναχίζεται αὐλῇ.

Sic olim edebatur: vos ingeniosam Duentzeri recepistis coniecturam περιστεναχίζετ' ἀοιδῇ. Quae certe hoc commendatur argumento quod verbo περιστεναχίζεται nullus recte adiicitur dativus nisi is quo res significetur quae ut domus resonet efficiat. Tamen, licet vitiosum esse αὐλῇ concedam, illud a vetusto poëta scriptum esse quod Duentzerus voluit credere non possum. Primum gemiscendi verbum parum aptum videtur claris vocibus convivarum laete atque hilariter cantantium. Deinde κνισῆεν ita positum est ut, licet substantivi δῶμα sit epitheton, tamen simul etiam cum sententiae cohaereat verbo. Verbum ergo exspectes quo non sonitus dicatur aliquis sed nidor esse circa domum carnis igni impositae. Denique graviori morbo laborat versus quam qui uno vocabulo αὐλῇ mutato sanari possit.

64 sqq. Ulyssem ad Aeoli insulam ventis reiectum sic ille alloquitur:

πῶς ἦλθες, Ὀδυσεῦ; τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων;
ἦ μέν σ' ἐνδυκέως ἀπεπέμπομεν, ὄφρ' ἀφίκοιο
πατρίδα σὴν καὶ δῶμα καὶ εἴ πού (ποθί) τοι φίλον εἴη.

Corruptus est ultimus versus; nam quae sententia sola hic ferri possit: „ut venires in patriam tuam, domumque et quidquid illic tibi carum est,'' ea e verbis traditis elici nequit,

quia post *εἰ* deest pronomen *τι*. Quod etiamsi aliquo modo inseri posset tamen longe Nauckii praestaret lectio. Quod enim ille dedit *καὶ εἴ ποσέ σοι φίλον εἴη* non solum recte dictum est sed etiam totam narrationem egregie illustrat. Non enim domum se rediturum Aeolo dixit Ulysses sed tantummodo *ὁδὸν ᾔτεεν ἠδ' ἐκέλευεν πεμπέμεν'* (vs. 17 sq.). Tum ventorum rex illis convenienter precibus non ventum secundum solum ei dedit, sed saccum ventorum plenum: cuius consilium ratioque ex allocutione demum quam restituit Nauckius intelligitur. Sive enim non audivit Aeolus quo Ulyssi esset iter faciendum, sive hoc ex Ulyssis narratione intelligere quidem potuit (etenim per integrum mensem Ulysses apud eum est deversatus et quidquid ille scire vellet narravit), sed postea scire se dissimulavit, ei omnium, quotquot sunt, ventorum fecit copiam. Eiusmodi autem doni auctorem gloriari decet: „ita te a me dimisi ut vel domum vel quocunque velles navigares." Verum, dum scribo, metuere incipio, ne ineptus sim qui fabulosae narrationis rationem constare cupiam, cum, in hac praesertim parte Odysseae, tot res legantur admirationi quidem movendae et auditorum animis detinendis aptissimae, sed quarum quod esse potuerit consilium rogare putidum sit et insulsum. Ergo Nauckianae lectionis patrocinium omittere sum paratus dummodo mihi concedatur illa pro verbis, e quibus salva Graecitate nullus aptus sensus extundi possit, restitui aliquid quod neque ineptum sit et ad intelligendum facillimum.

77 sqq. *ἔνθεν δὲ προτέρω 'πλέομεν ἀκαχημένοι ἦτορ.*
'τείρετο δ' ἀνδρῶν θυμὸς ὑπ' εἰρεσίης ἀλεγεινῆς
ἡμετέρῃ ματίῃ, ἐπεὶ οὐκέτι 'φαίνετο πομπή.

Quaeritur quid *ἡμετέρῃ ματίῃ*, quod hoc uno loco legitur, significare possit; mihi neque n o s t r a s t u l t i t i a. neque n o s t r a c u l p a, neque l a b o r e i r r i t o. neque (quo sensu Apollonius Rhodius usurpavit) n o s t r a t e m e r i t a t e verum

videtur, quia horum nihil recte sequentibus ἐπεὶ οὐκέτι ʽφαίνετο πομπή opponitur. Sed ita obscura verba vertenda sunt ut haec fere evadat sententia: „nostris ipsi viribus." Tum versus:

'τείρετο δ' ἀνδρῶν θυμὸς ὑπ' εἰρεσίης ἀλεγεινῆς

in parenthesi erit legendus, iungendaque inter se 'πλέομεν et ἡμετέρῃ ματίῃ.

109 sq. Ad Laestrygonum terram ubi appulit Ulysses exploratores quosdam praemittit. Quibus obviam fit regis filia:

οἳ δὲ παριστάμενοι προσεφώνεον ἔκ τ' ἐρέοντο,
ὅς τις τῶνδ' εἴη βασιλεὺς καὶ τοῖσι Ϝανάσσοι.

Aristarchi lectio est καὶ τοῖσιν ἀνάσσοι: in codicibus est καὶ οἷσιν et ἠδ' οἷσιν ἀνάσσοι, sed nihil horum viris doctis probari potuit, neque, ut opinor, probabitur unquam recte reputantibus. Quod autem vos proponitis, καὶ τῇδε Ϝανάσσοι vel λαοῖσι Ϝανάσσων verbosius quam pro re videtur. De τέοισι vero vel ὀτέοισι invehendo ne cogito quidem: neque enim mihi synizesis ista placet neque sententia quae sic nascitur. Nam scire quidem Ulyssis comites volunt qualis sit populus ad quem pervenerint, sed non illam hoc rogant quam primam habent obviam: ab illa, ni fallor, regis sibi monstrari domum cupiunt; illo enim cognito, illoque iis facto amico, cetera omnia sponte sequentur. Regem ergo quaerunt, sed addunt — quid? Quid possunt addere in ea regione, ubi neque armenta pecudesve esse neque agros coli iam cognoverint (vs. 98 sq.), quidve praeterea rogare viri, qui paulo ante τοὺς ἀβασιλεύτους viderint Κύκλωπας? Opinor, qui nusquam aratores pastoresve conspiciant, metuere iam incipiunt ne iterum ad feram quandam gentem sint delapsi nulli regi, nulli legi parentem. Tale autem metuentis huiuscemodi esse solet oratio: „si quis hic rex est, quis ille est?" Ergo, quamquam verba non praesto, dedisse aliquid poëtam credo in hanc sententiam:

ὅστις τῶνδ' εἴη βασιλεύς, εἴ τίς ῥα Ϝανάσσοι.

302 sq. Narravit Ulyssi Mercurius quid periculi ei apud Circen impenderet et quo modo vitari illud posset:

ὣς ἄρα φωνήσας 'πόρε φάρμακον Ἀργεϊφόντης
ἐκ γαίης Ϝερύσας καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἴδειξε.

Abesse genitivum qui a *φύσιν* pendeat malim quam obtrudi poëtae novicium istud et languidum *αὐτοῦ*. Propono ergo:

καί μοι φύσιν αὐτὸς ἔδειξε.

Aptissimum enim illud *αὐτός ἔδειξε* ad comitatem benigni dei significandam.

393 sq. *τῶν δ' ἐκ μὲν μελέων τρίχες ἔρρεον, ἃς πρὶν ἔφυσε*
φάρμακον ὀλόμενον, τό σφιν 'πόρε πότνια Κίρκη.

Omnino receptam oportuit egregiam Naberi emendationem versum 394 delentis et pro *ἔφυσε* scribentis *ἔφυσαν*. Videte enim quam invenuste, quam languide sententiam relativam nova sententia relativa excipiat. Deinde et hoc, quod etiam gravius est, reputate. Dici aliquo modo potest: „effluxerunt de membris eorum pili quos crescere fecerat Circes venenum." Sed absurdissime his vox „antea" adiiceretur. Illud *πρίν* ubi legitur, nulla alia ferri potest sententia quam haec: „quos habebant antea."

LIBER XI.

97 sqq. Ulysses de suo ad inferos itinere narrans, postquam Tiresiae verba retulit precantis ne se sanguine hostiarum arceret, ita pergit:

> ὣς ’φάτ’ · ἐγὼ δ’ ἀναχασσάμενος ξίφος ἀργυρόηλον
> κουλεῷ ἐγκατέπηξ’. ὃ δ’ ἐπεὶ ’πίεν αἷμα κελαινὸν,
> καὶ τότε δή με ϝέπεσσι προσηύδα μάντις ἀμύμων.

Sana haec esse non credo sed aut ante vs. 99 intercidisse versum, aut in καὶ τότε δή vitii latere aliquid.

235—259. Quae de Tyro narrantur non expedio. *Dicebat* illa se Crethei esse uxorem (vs. 237). Nonne ergo verum illud erat? Sed amabat Enipeum, ad cuius fluvium saepe solebat ire. Enipei autem specie eam Neptunus compressit, cui illa Peliam Neleumque peperit. Praeterea tres peperit filios Cretheo. Quae ergo hic sunt Enipei partes, cuius specie usus Neptunus nullo negotio pro uxore eam habuit? Mutila est, ut opinor, narratio.

271 sqq. μητέρα τ’ Οἰδιπόδα’ ἔϝιδον, καλὴν ’Επικάστην,
ἣ μέγα ϝέργον ἔρεξεν ἀϝιδριίηφι νόοιο
γημαμένη ϝῷ υἷι· ὃ δὲ ϝὸν πατέρ’ ἐξεναρίξας
’γῆμεν· ἄφαρ δ’ ἀνάπυστα θεοὶ ’θέσαν ἀνθρώποισι.
ἀλλ’ ὃ μὲν ἐν Θήβῃ πολυηράτῳ ἄλγεα πάσχων
Καδμείων ἐϝάνασσε θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς.

Merito hic haeretis rogatisque (in annotatione ad 275 sq.): „ergone post incestum detectum matrisque miserum obitum aliquot annos Thebis regnavit?" Non est credibile hanc esse poëtae nostri narrationem: plane enim inepta est atque absurda. Expungenda ergo quaedam esse persuasissimum mihi est, neque tamen cum Duentzero facio, qui versus 275 sq. damnat. Quo enim consilio additos illos censeamus? Praeterea deletis illis restat, quod vel maxime offendit, illud γημαμένη . . . 'γῆμεν. Non ergo versum 275 cum sequente sed cum praecedente equidem deleverim, quo facto aptissima haec atque plane perspicua restabit narratio: „Epicaste inscia horribile flagitium commisit: filio suo nupsit. Is enim patre suo occiso Thebis regnum obtinuit: sic dii crudeles decreverant. At illa suspendio vitam finivit: ipse vero solus relictus facti torquebatur conscientia." Nunc non dicitur detectus esse incestus: sed sine ullo damno huius rei mentio omittitur. Mortem sibi conscivit Epicaste: cur? quando? Nempe taedebat eam vitae postquam quid fecisset cognovit. Nisi cognovisset, opinor, placidam peregisset vitam donec senio conficeretur. Deinde Oedipus patre suo (Thebarum rege) occiso rex factus dicitur. Addere opus non est: „et reginam viduam factam ipse duxit": hoc enim sponte quivis intelligit. Sed versus a me notatos addidit qui non perspiceret illud

ὃ δὲ Ϝὸν πατέρ' ἐξεναρίξας
Καδμείων ἐϜάνασσε θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς

praecedentis γημαμένη Ϝῷ υἷι continere explicationem. Et tamen lector non tardissimus facile ex iis quae restant crudele illud deorum consilium cuiusmodi fuerit et quo ordine sit peractum cognoscit: „suum ipse patrem occidit Oedipus: in eius regnum successit et reginam duxit uxorem, suam ipse matrem".

Ansam ergo interpolationis datam videmus particula δέ, quam hic, ut saepe alibi, eandem fere quam γὰρ vim habere falsarium fugit.

298 καὶ Λήδην ἔϝιδον τὴν Τυνδαρέου παράκοιτιν

Attica haec, non epica. Versum ita emendandum censeo ut articulus τήν tollatur.

305 sq. τὴν δὲ μετ' Ἰφιμέδειαν Ἀλωῆος παράκοιτιν
ἔϝϝιδον, ἣ δὴ ἔφασκε Ποσειδάωνι μιγῆναι.

ἔφασκε: ergone verum illud non erat, sed ipsa sibi e mortalibus amatorem elegit, deinde gravida facta, ne a marito, qui diu absens fuisset, adulterii insimularetur, cum Neptuno se rem habuisse finxit callida mulier? At peperit filios, quos quivis de deo conceptos agnosceret:

ἐννέωροι γάρ τοί γε καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν.

et, si ad adultam pervenissent aetatem, ipsum Iovem ceterosque deos de suo detrusissent Olympo. Vide quae de versibus 235—259 disputavimus.

336 sqq. Audita Ulyssis narratione obstupescunt omnes. Tandem Arete, Phaeacum regina, haec loquitur:

Φαίηκες, πῶς ὔμιν ἀνὴρ ὅδε φαίνεται εἶναι
ϝεῖδός τε μέγεθός τε ἰδὲ φρένας ἔνδον ἐϝίσας;
ξεῖνος δ' αὖτ' ἐμός ἐστι, ϝέκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς.

Quo modo ista ϝέκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς accipiamus? An sic: „unusquisque v e s t r u m aliquo honore fungitur (a rege dato) e quo lucri affatim percipiat?" Hoc dixeris propter sequentia, quorum haec est fere sententia: „ergo quantocius hospiti comitatum date et in donis dandis parci esse nolite". Sed inepte iterum causa additur cur benignos esse eos deceat:

πολλὰ γὰρ ὔμιν
κτήματ' ἐνὶ μεγάροισι θεῶν ἰότητι κέονται.

An sic illa verba vertamus: „unicuique v e s t r u m honori est (quod talem hospitem habemus)?" Hoc cum praecedente ξεῖνος δ' αὖτ' ἐμός ἐστι melius cohaeret. An denique ἔμμορε aoristus est gnomicus; supplendumque ξεῖνος ut neget Arete

moris esse hospitem sine honore (donisque) dimittere? Mihi quidem nihil horum placet, sed corruptum locum censeo: neque enim ὗμιν omitti potuit neque ξεῖνος.

436 sqq. Narrato sibi ab Agamemnonis umbra diro Clytaemnestrae scelere exclamat Ulysses:

ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ γόνον Ἀτρέος εὐρύϝοπα Ζεὺς
ἐκπάγλως ἤχθηρε γυναικείας διὰ βουλὰς
ἐξ ἀρχῆς· Ἑλένης μὲν ἀπωλόμεθ' εἵνεκα πολλοί,
σοὶ δὲ Κλυταιμνήστρη δόλον ἤρτυε τηλόθ' ἐόντι.

Quid hic est γυναικείας διὰ βουλάς? Si vertis: „propter mulierum consilia" recte quidem ea vocabula cum verbo ἤχθηρε iunguntur: „tam scelesta mulierum quarundam Graecarum fuerunt consilia ut inde Iovis in omnes ortum sit odium." Sed de una gente Atrei hic agitur dis invisa. Et sequitur: „Helenae causa multi nostrum interierunt, tu vero Clytaemnestrae insidiis periisti." Suspiceris ergo verbis γυναικείας διὰ βουλάς significari rem qua Iupiter utatur ut odium suum exercere possit. Sed Helenae delictum omnibus Graecis funestum fuit, non solis Atridis. Praeterea ἐχθαίρειν est odisse, non odium exercere. Gravi laborare morbo totum locum censeo.

484 sq. Achillis felicitatem et aliis verbis Ulysses praedicat et hisce:

πρὶν μὲν γάρ σε ζωὸν ἐτίομεν ἶσα θεοῖσι
Ἀργέιοι, νῦν αὖτε μέγα κρατέεις νεκύεσσι.

Sic vulgo; pro ἐτίομεν ἶσα Naberus coniecit ἔτιον ϝῖσα, quod vos recepistis. Certe sic suum sibi ϝ habet ϝῖσα, sed nascitur structura, si quid video, minime Homerica. An in poesi epica eum verborum feramus ordinem, quo primum ponatur verbum, deinde interiectis quibusdam vocabulis subiectum? Latinus ille videtur potius quam Graecus.

555 sq. Aiacem sic Ulysses alloquitur: „etiam nunc me propter arma ista odisti?"

τὰ δὲ πῆμα θεοὶ 'θέσαν Ἀργεΐοισι·
τοῖος γάρ σφιν πύργος ἀπώλεο.

Pulcherrima haec. Sed inepte additur

σεῖο δ' Ἀχαιοὶ
Ϝῖσον Ἀχιλλῆος κεφαλῇ Πηληιάδαο
ἠχνύμεθα φθιμένοιο,

quasi vero de alio homine loqui incipiat et non ipse Aiax sit πύργος ille. Quare eiusmodi opus esse credo emendatione qua pro δ' legatur γάρ.

LIBER XII.

25 sqq. Verba Circes ad Ulyssem haec sunt:

ἐγὼ δείξω ὁδὸν ἠδὲ ϝέκαστα
σημανέω, ἵνα μή τι κακορραφίῃ ἀλεγεινῇ
ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς ἀλγήσετε πῆμα παθόντες.

Sic codices; vos praepositionem ἐπί insolito loco positam non ferentes Fickii coniecturam ἢ ἁλὸς ἢ γαίης recepistis. Mihi omnia ferenda potius videntur quam praepositionem deleamus. Quid enim ἢ ἁλὸς ἢ γῆς significabit? An a κακορραφίῃ illi genitivi pendebunt? At κακορραφίαι non maris terraeve sunt sed hominum deorumve. Deinde leviuscula corrigendo morituri reduviam curare videbimur, totus locus cum sit ineptiarum plenus. Quid enim fiet nisi Ulyssis comitibus a Circe via monstrata et omnia significata erunt? Ad unum omnes interibunt aut Sirenum praeda facti aut Charybdi devorati aut Solis causa a dis immortalibus pessumdati. Eiusmodi mala iis significare verbis quae hic leguntur ridicula est lenitas. Deinde illud κακορραφίῃ ἀλεγεινῇ ad Sirenas quodammodo convenit, quae blanda voce navigantes ad se alliciunt, sed neque Charybdi apta sunt ea vocabula, quae natura sua omnia devorat, neque Soli, qui poenas iustas sumpturus est permagnae impietatis. Haeccine ergo omnia aequi bonique consulamus, in

uno ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς haereamus? Quod facile defenditur notis exemplis:

ὤφελέν σ' ὦ τυφλὲ Πλοῦτε
μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάσσῃ
μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆναι

et: ὡς χρὴ Μεγαρέας μήτε γῇ μήτ' ἐν ἀγορᾷ κτἑ.

50 sqq. „Cum Sirenum insulae appropinquaveris" Circe ait „comites tui"

δησάντων σ' ἐν νηὶ θοῇ χεῖράς τε πόδας τε
ὀρθὸν ἐν ἱστοπέδῃ, ἐκ δ' αὐτοῦ πείρατ' ἀνήφθω,
ὄφρα κε τερπόμενος Ϝόπ' ἀκούῃς Σειρήνοιιν.

ψυχρά μέν, οἶμαι, τέρψις! Quid enim? Sirenes audiet Ulysses, sed malo alligatus, propius accedendi desiderio torquebitur, sed cum navem eo dirigi iusserit artioribus constringetur vinculis. Corpore ergo et animo male ei erit et tamen hoc τέρπεσθαι appellatur! Equidem pro τερπόμενος aliquid legendum censeo quod significet: „sine tuo comitumque periculo." Sed praestat fortasse totum versum delere ut ab eo additum qui τερπόμενος eo adhibuerit sensu quem saepe χαίρων habeat.

69 sqq. Postquam Planctarum naturam descripsit haec Circe addit:

οἴη δὴ κείνῃ γε παρέπλω ποντοπόρος νηῦς
Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα, παρ' Αἰήταο πλέουσα.
καί νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκ' ἔβαλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,
ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἰήσων.

Verbi ἔβαλεν obiectum quod est? An latet in praecedente

κύμαθ' ἁλὸς φορέουσι πυρός τ' ὀλοοῖο θύελλαι?

Vix hoc credibile. Sed praeterea apertis vitiis versus hic laborat. Neque enim ἔνθα neque ὦκα ferri possunt, sed ad lacunam implendam inserta ea vocabula videntur ab imperito correctore. Deinde aegre hic alterum καί desideratur. Requiritur

enim haec sententia: „sed e t haec navis interisset, nisi salutem attulisset Iuno". Hisce omnibus consideratis sic fere legendum censeo:

καί νύ κε καὶ τὴν κῦμ' ἔβαλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας. [1])

116 sqq. Vitaturum se Charybdin et Scyllae vim armis repulsurum Ulysses dicit. Hic Circe:

σχέτλιε, καὶ δ' αὖ τοι πολεμήια Ϝέργα μέμηλε
καὶ πόνος; οὐδὲ θεοῖσ' ὑποϜείξεαι ἀθανάτοισι;
ἣ δέ τοι οὐ θνητή, ἀλλ' ἀθάνατον κακόν ἐστι,
δϜεινόν τ' ἀργαλέον τε καὶ ἄγριον οὐδὲ μαχητόν·
οὐδέ τίς ἐστ' ἀλκή· φυγέμεν κάρτιστον ἀπ' αὐτῆς.

Pro *φυγέμεν κάρτιστον ἀπ' αὐτῆς* requiritur aliquid in hanc sententiam: „quantocius inde fuge" ut recte sequi possit: *εἰ γὰρ δηθύνησθα κτέ.* Certe aliquo modo efficiendum ut ineptum illud *ἀπ' αὐτῆς* sede sua moveatur.

247 sqq. Sex comites a Scylla raptos narravit Ulysses. Tum sic pergit:

σκεψάμενος δ' ἐς νῆα θοὴν ἅμα καὶ μεθ' ἑταίρους
ἤδη τῶν ἐνόησα πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε
ὑψόσ' ἀειρομένων.

Quid primus horum versuum significat? An: „dum oculis miseros illos comites sequebar neque tamen a nave oculos

---

[1]) Haud dissimilis huic coniecturae est egregia emendatio quam ad χ, 456 pro ponitis. Ibi leguntur haec:

αὐτὰρ Τηλέμαχος καὶ βουκόλος ἠδὲ συβώτης
λίστροισιν δάπεδον πύκα ποιητοῖο δόμοιο
'ξῦον· ταὶ δ' ἔφερον δμῳαί, 'τίθεσαν δὲ θύραζε.

Ultimo versu desideratur verborum *ἔφερον* et *ἐτίθεσαν* obiectum quod vos acutissime lepidissimeque restituitis legendo:

'ξῦον· ταὶ δὲ ῥύπ' ἐκφόρεον 'τίθεσαν δὲ θύραζε.

Sic simul uno *ταί* ancillae siguificantur, quod multo est elegantius quam *ταὶ δμῳαί*. Nam de ancillis sermonem hic esse tota docet narratio iamque vs. 451 de iisdem legitur *ταὶ δ' ἐκφόρεον καὶ ἀνάγκῃ*.

removebam"? Parum verisimile hoc videtur, cum praesertim *ἐς νῆα* praecedat et *μεθ' ἑταίρους* sequatur. Participium enim aoristi *σκεψάμενος* dici tantummodo potest de ea re quam quis uno temporis momento facere incipit, non de ea quam facere pergit. Est ergo *σκεψάμενος δ' ἐς νῆα θοήν*: „oculis in navem coniectis": at non s i m u l (*ἅμα*) Ulysses et sedes aspicit ubi miseri illi sederant et ipsos e Scyllae rictu pendentes. Fortasse in *ἅμα καί* vitii latet aliquid.

289 sq. Ulyssi sic persuadere conatur Eurylochus ut ad Solis insulam appellat: „iam instat nox: quomodo effugere possimus mortem si per tenebras navigantibus nobis subito oriatur procella?"

ἢ Νότου ἢ Ζεφύροιο δυσαέος; οἵ τε μάλιστα
νῆα διαρραίουσι, θεῶν ἀϝέκητι ϝανάκτων;

Spurios hosce versus censeo. Quis enim unquam illos ventos ceteris omnibus magis exitiosos navibus audivit? Et vocabula *θεῶν ἀϝέκητι ϝανάκτων* versum quidem implent sed sanum non praebent sensum. Prae ceteris vero istud *ϝανάκτων* falsarium prodit, qui, dummodo iustus adesset syllabarum numerus, praeterea curaverit nihil.

LIBER XIII.

40 sqq. Ut iam abire sibi liceat Ulysses Alcinoum precatur, additque:

> *ἤδη γὰρ τετέλεσται ἅ μοι φίλος ἤθελε θυμὸς,*
> *πομπὴ καὶ φίλα δῶρα, τά μοι θεοὶ Οὐρανίωνες*
> 42 *ὄλβια ποιήσειαν· ἀμύμονα δ' οἴκοι ἄκοιτιν*
> *νοστήσας εὕροιμι σὺν ἀρτεμέεσσι φίλοισι.*

Non hoc gravissimum est versus 42 vitium quod suo sibi Ϝ caret vox *οἴκοι*. Multo dolendum magis quod adiectivum *ἀμύμονα* irrepsit in locum adiectivi quod „incolumis" significaret; illo enim opus est ut recte addi possit *σὺν ἀρτεμέεσσι φίλοισι*. An putemus Ulyssem amicos quidem incolumes videre cupere, de uxore nihil aliud precari quam hoc: „utinam domi eam videam"? Nihil ergo prodest Fickii coniectura *ἔνδον* (pro *οἴκοι*) nisi simul corrigatur *ἀμύμονα*. Proponerem *ἀπήμονα*, nisi iam vs. 39 illud legeretur.

LIBER XIV.

8 αὐτὸς δείμαθ' ὕεσσιν ἀποιχομένοιο Ϝάνακτος.

Mihi si Odysseae editio esset procuranda, elegantissimum hunc versum relinquerem intactum, neque ἐδείμαθ' scriberem, quia sic restituitur quidem augmentum, sed totus versus, nisi me fallunt aures, corrumpitur. Quatuor enim illae caesurae trochaicae nescio quid fracti habent languidique.

21 sqq. Descriptis Eumaei stabulo atque chorte enumeratisque eius subus additoque illorum qui optime saginatus esset semper ad procos mitti solitum, sic pergit poëta:

πὰρ δὲ κύνες θήρεσσι ϜεϜοικότες αἰὲν ἴαυον
τέσσαρες, οὓς ἔθρεψε συβώτης ὄρχαμος ἀνδρῶν·
αὐτὸς δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἑϜοῖσ' ἀράρισκε πέδιλα
τάμνων δέρμα βόειον ἐυχροές· οἱ δὲ δὴ ἄλλοι
ᾤχοντ' ἄλλυδις ἄλλος ἅμ' ἀγρομένοισι σύεσσι,
οἱ τρεῖς· τὸν δὲ τέταρτον ἀποπροέηκε πόλινδε
σῦν ἀγέμεν μνηστῆρσιν ὑπερφιάλοισιν ἀνάγκῃ,
ὄφρ' ἱερεύσαντες κρεάων κορεσαίατο θυμόν.

Omnino cum Callistrato facio versum 22 delente: inseruit aliquis qui canum numerum pastorum numero respondere vellet; ineptissime, nam quemadmodum totus hic locus docet,

canes illi domum servant. Si vero et Eumaeus et illi quatuor eius ministri pastum ducentes sues etiam canes, ita ut ovium pastores, secum habere consuevissent, non quatuor sed quinque canibus opus fuisset. Quid quod pastorum quoque enumeratio (vs. 26—28) recentioris esse poëtae videtur. Primum, id quod vos quoque male habet, ineptissime dicitur *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι... οἱ τρεῖς*. Deinde nusquam alibi certus Eumaei pastorum numerus significatur (tantummodo *ἀνέρες ὑφορβοί* dicuntur vel *οἱ ἄλλοι*) uno excepto loco (434—436). Sed videte verbis

ἂν δὲ συβώτης
ἵστατο δαιτρεύσων· περὶ γὰρ φρεσὶν αἴσιμ' ἐϝείδει

quam languide atque inepte addatur:

καὶ τὰ μὲν ἔπταχα πάντα διεμοιρᾶτο δαΐζων·
τὴν μὲν ἴαν νύμφῃσι καὶ Ἑρμῇ Μαιάδος υἷι
'θῆκεν ἐπευξάμενος, τὰς δ' ἄλλας 'νεῖμε ϝεκάστῳ.

Omnia haec sapiunt interpolatorem novicium, quare nullam hic probandam censeo emendationem qua pro *Ἑρμῇ* sincera forma *Ἑρμείᾳ* restituatur: ipsa illa falsarium arguit. Ab eodem addita credo ista:

οἱ τρεῖς· τὸν δὲ τέταρτον ἀποπροέηκε πόλινδε
σῦν ἀγέμεν μνηστῆρσιν ὑπερφιάλοισιν ἀνάγκῃ,
ὄφρ' ἱερεύσαντες κρεάων κορεσαίατο θυμόν.

Supervenit alter qui de canum quoque numero lectores certiores faceret, sed dum accuratus esse studuit in ridiculum incidit errorem.

Statim sequitur vs. 29 sqq.:

ἐξαπίνης δ' Ὀδυσῆ' ἔϝιδον κύνες ὑλακόμωροι.
οἱ μὲν κεκληγῶτες ἐπέδραμον· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
ἕζετο κερδοσύνῃ, σκῆπτρον δέ ϝοι ἔκπεσε χειρός.
ἔνθα κε ϝῷ πὰρ σταθμῷ ἀϝεικέλιον 'πάθεν ἄλγος.
ἀλλὰ συβώτης ὦκα ποσὶ κραιπνοῖσι μετασπὼν
ἔσσυτ' ἀνὰ πρόθυρον, σκῦτος δέ ϝοι ἔκπεσε χειρός.

τοὺς μὲν ὁμοκλήσας ’σεῦεν κύνας ἄλλυδις ἄλλον
πυκνῇσιν λιθάδεσσιν, κτἑ.

Prudentissime acutissimeque ad versus 31 verba σκῆπτρον — χειρός annotatis: „nimis similia haec exitui versus 34. Et quid significant? Si clavam callido consilio proiecisse dicitur Ulixes, ne canibus minari videretur, non ἔκπεσε dicendum erat, sed ἔκβαλε, quod est in G. X., sed propter pronomen Ϝοι quod praecedit recipi nequit.” Verissima haec esse nemo, ut opinor, negabit. Mihi tamen totus narrationis decursus magis etiam displicet quam nimia illa terminationum similitudo vel verbi ἔκπεσε abusus. Quid enim? Ulysses ἕζετο κερδοσύνῃ: assedit Ulysses: sciebat enim vir callidus prudensque sic optime canum iram sedari, clavamque proiecit (faciamus enim illud in verbis σκῆπτρον — χειρός inesse) eodem consilio. Verum quid sequitur? „Tum canes Ulyssem dilaniassent, nisi Eumaeus auxilio venisset.” En exemplum calliditatis! Novo quodam adversus instans periculum remedio utitur Ulysses, sed nihil illud prodest: non illo sed Eumaei lapidibus arcentur canes. Adspiciamus ipsa verba quae citavimus: „iam impetum in Ulyssem canes faciunt, sed ille, ut erat callidus prudensque, omissa clava assedit.” Quid addere his potest narrator non plane delirans? Nempe: „tum canes eum non tetigerunt.” Contra illud: „tum canes Ulyssem dilaniassent nisi accurrisset Eumaeus eosque coniectis lapidibus fugasset” recte ponitur si nihil aliud quam hoc praecedit: „conspecto Ulysse rauca voce edita canes provolant.” Puto ergo antiquum poëtam haec fere scripsisse:

ἐξαπίνης δ’ ’Οδυσῆ’ ἔϜιδον κύνες ὑλακόμωροι.
(δϜεινά τε) κεκληγῶτες ἐπέδραμον (ἄνδρα Ϝιδόντες).
ἔνθα κε Ϝῷ πὰρ σταθμῷ ἀϜεικέλιον ’πάθεν ἄλγος
ἀλλὰ συβώτης κτἑ.

Sed supervenisse virum inepte pium, qui ferre non posset callidissimum mortalium ignarum fingi noti illius adversus

iratos canes remedii, idque ergo, tamquam ab ipso Ulysse inventum, utcumque insereret.

122 sq. „Dic mihi domini tui nomen; fortasse enim mihi notus est, ita ut de eo nuntium afferre possim." Vix haec dicentem Eumaeus hospitem audivit cum exclamat:

ὦ γέρον, οὔ τις κεῖνον ἀνὴρ ἀλαλημένος ἐλθὼν
ἀγγέλλων πείσειε γυναῖκά τε καὶ φίλον υἱόν.

Iure hic κεν desideratis, sed quod proponitis εἰ (pro οὐ) ut sit optantis exclamatio, id mihi huius loci non esse videtur. Sperat fore Eumaeus ut nuntium de Ulysse afferat aliquis, sed utrum ille errans veniat an consulto huius rei gratia Ithacam naviget et utrum Penelope fidem ei habeat an non, nil curat, dummodo verum fuisse nuntium mox appareat. Equidem lenissima emendatione sic legerim:

ὦ γέρον, οὔ κεν κεῖνον ἀνὴρ κτἑ.

„Vir, qui, ut tu, errabundus (et mendici speciem prae se ferens) de Ulyssis reditu nuntiet aliquid, haud facile Penelopae narrationem suam probet: satis iam illa ab eiusmodi hominibus decepta est."

135 sq. ἢ τόν γ' ἐν πόντῳ 'φάγον ἰχθύες, ὀστέα δ' αὐτοῦ
κεῖται ἐπ' ἠπείρου κτἑ.

Num ferendum istud αὐτοῦ censetis?

287 ἀλλ' ὅτε δὴ ὄγδοόν μοι ἐπιπλόμενον ἔτος ἦλθε

Versum ἄμετρον lepidissima emendatione sic corrigitis:

ἀλλ' ὅτε δή μοι ἐπιπλόμενον Ϝέτος ὄγδοον ἦλθε.

Certam dicerem nisi dubitarem etiam de hoc verborum ordine, qui vix Homericus videtur.

457 sqq. νὺξ δ' ἄρ' ἐπῆλθε κακὴ σκοτομήνιος· ὗε δ' ἄρα Ζεὺς
πάννυχος, αὐτὰρ ἄει Ζέφυρος μέγας αἰὲν ἔφυδρος.
τοῖσ' Ὀδυσεὺς μετέϜειπε συφόρβοο πειρητίζων, κτἑ.

Sic vos grammatica ratione ducti edidistis *τοῖσ' Ὀδυσεύς* pro vulgato *τοῖς δ' Ὀδυσεύς*. Sed rogatos vos velim num abesse hic possit *δέ* aliave huic similis particula, ita ut tota sententia nullo vinculo cum praecedentibus cohaereat. Equidem non credo, sed aut aliquid de lege hic remittendum censeo, aut, hoc si nefas videtur, sic legendum:

καὶ τότ' Ὀδυσσεὺς 'ϝεῖπε κτέ.

494. Eumaei hospes Ulyssem se esse dissimulans hac utitur lepide ficta narratione, qua tecte significet algere se et vestem sibi superiniici cupere: „quondam in obsidione urbis Troiae ego cum Ulysse et Menelao in insidiis eram collocatus; ibi ego male vexatus frigore Ulyssem e somno excitavi et ad eum sum conquestus. Ille vero statim dolum invenit meque quiescere iussit.“ Sequitur:

ἦ, καὶ ἐπ' ἀγκῶνος κεφαλὴν 'σχέθε 'ϝεῖπέ τε μῦθον·
„κλῦτε, φίλοι· θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος.
λίην γὰρ νηῶν ϝεκὰς ἤλθομεν· ἀλλά τις εἴη
ϝειπέμεν' Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ποιμένι λαῶν,
εἰ πλέονας παρὰ ναῦφιν ἐποτρύνειε νέεσθαι.“

Quid sit „cubito levari“ et *ἐπ' ἀγκῶνος ὀρθοῦσθαι* scio, sed quomodo se contorqueat aliquis ut caput cubito impositum habeat ne fingere quidem possum. Nihil tamen mutare ausim, multa enim in hac narratione occurrunt, quae vix concoquas: quorum et illud est quod miles in insidiis collocatus obdormivisse dicitur. Id autem Aristarcho tam absurdum visum est ut vs. 495 delendum censeret; quem vos sequimini. Ego aliter censeo. Levis enim alicui obrepere somnus potest et cum somno somnium, qui tamen dormire minime est dicendus, quia perpetua rei, quae in manibus est, cogitatio efficit ut levissimo strepitu statim expergiscatur. Et quidni insidiantium duces fingamus per vices somni aliquid capientes? Postremo ipsos illos milites quos nullo negotio deceptos audimus, non tam cal-

lidos fingi ut quodvis mendacium statim deprehendant, ex ipsa narratione apparet. Nam quod iudicavit Aristarchus adiectum esse versum ab eo qui vim particulae *γάρ* vs. 496 non agnosceret, equidem, qui probe norim saepe *γάρ* ad eam sententiae partem referendum esse, quae *ἐκ τῶν συμφραζομένων* sit addenda, quia nullis vocabulis enuntiata sit, pertinaciter nego *λίην γὰρ νηῶν Ϝεκὰς ἤλθομεν* iustum esse allocutionis exordium. Ubi enim latere censeamus illud quod cogitatione supplendum est? Ad *κ* 190 provocatis, at illic ita *γάρ* positum est ut nostrum locum versu 495 carere non posse quivis videat. Legitur enim:

ὦ φίλοι, οὐ γὰρ Ϝίδμεν ὅπῃ ζόφος οὐδ' ὅπῃ ἠώς

i. e. „amici! (ad vos me convertere debeo) nescimus enim e. q. s." Nisi illud *ὦ φίλοι* praecederet, verba *οὐ γὰρ Ϝίδμεν* sensu cassa essent.

LIBER XV.

7 sq. *Τηλέμαχον δ' οὐχ ὕπνος ἔχε γλυκὺς, ἀλλ' ἐνὶ θυμῷ*
νύκτα δι' ἀμβροσίην μελεδήματα πατρὸς ἔγειρε.

Mihi ineptissima videtur Scholiastae interpretatio „curae eum e somno excitabant.'' Etenim vix quidquam cogitari possit absurdius quam illud: „curae eum e somno *ἐν θυμῷ* excitabant''; praeterea si *ἔγειρε* (vel *ἔγειρον*) hic est excitabant, male omittitur obiectum *Ϝε*. Sed hoc quidem vitium Scholiastae interpretationi commune est cum lectione *ἔτειρον* quam vos et Naberus commendatis. Ergo aut *ἐνὶ θυμῷ μελεδήματα ἔγειρειν* est fere: „curas cogitationesque animo volvere'' aut cum Nauckio legendum *ἔχεσκε*. Sed illud verisimilius: homo enim dolore aliquo oppressus suas ipse curas vigiles reddit. Et Nauckii lectio nescioquid habet frigidi.

46 sq. His verbis Pisistratum e somno excitat Telemachus:
ἔγρεο, Νεστορίδη Πεισίστρατε, μώνυχας ἵππους
ζεῦξον ὑφ' ἅρματ' ἄγων, ὄφρα πρήσσωμεν ὁδοῖο.

Tum, ut opinor, recte duo imperativi *ἀσυνδέτως* ponuntur, si prior, tamquam quaedam interiectio, nullam vim habet propriam sed tantummodo alterius vim auget. Sed *ἔγρεο — ζεῦξον* nullo intercedente vinculo durissimum est et vix ferendum. Quare ex *ἄγρεε* illud *ἔγρεο* natum suspicor. Cf. *υ* 149 sq.

ἀγρέεσθ', αἳ μὲν δῶμα κορήσατε ποιπνύσασαι
ῥάσσατέ τ' ἔν τε θρόνοισ' ἐν ποιητοῖσι τάπητας κτέ.

Corruptum locum ab eo qui expergiscendi verbo opus esse, ubi aliquis e somno excitetur, putaret minime mirum.

195 sqq. Ubi Pylum advenerunt a Pisistrato Telemachus petit ut se recta ad navem ducat ne per urbem viam capiens apud Nestorem morari cogatur. Intelligit autem se rogare aliquid quod haud facile sit impetraturus, ergo longo utitur exordio:

Νεστορίδη, πῶς κέν μοι ὑποσχόμενος τελέσειας
μῦθον ἐμόν; ξεῖνοι δὲ διαμπερὲς εὐχόμεθ' εἶναι
ἐκ πατέρων φιλότητος, ἀτὰρ καὶ ὁμήλικές εἰμεν·
ἥδε δ' ὁδὸς καὶ μᾶλλον ὁμοφροσύνῃσιν ἐνήσει.

Provocat ergo ad eiusmodi res, quae efficere soleant ut in petendo audaciores sint homines, id est ad eas res, quae adsunt iam, non ad eas quas aliquando adfuturas credit. Haud ergo cum Herwerdeno facere dubito alteram lectionem ἐνῆκε praeferente. Praeterea si commune illud iter nondum auxit amicitiam, quando augebit? Iam enim adest finis.

226 sqq. De Melampode haec narrantur:

ὃς πρὶν μέν ποτ' ἔναιε Πύλῳ ἔνι, μητέρι μήλων,
ἀφνειὸς Πυλίοισι μέτ' ἔξοχα δώματα ναίων·
δὴ τότε γ' ἄλλων δῆμον ἀφίκετο κτέ.

Non infitiabor vs. 227 lectionem μέτ' metro respui, sed quam vos probatis μέγ' illa duplex sententiae nasci vitium opinor. Sic enim neque dativus Πυλίοισι quid sibi velit video, et μέγ' ἔξοχα non minus ineptum videtur quam istud μεγάλ' ἤλιθα πολλή (ι 330). Neque vitium illud metricum tam grave est quin ab interpolatore committi potuerit. Totum ergo versum includendum censeo sed μέτ' utique retinendum, quia leviora istiusmodi contra leges metricas peccata interpolationibus coarguendis aptissima sunt.

297 sqq.

ἡ δὲ (sc. navis Telemachi) *Φεὰς ἐπέβαλλεν ἐπειγομένη [Διὸς οὔρῳ*
ἠδὲ παρ' Ἦλιδα δῖαν, ὅθι κρατέουσιν Ἐπειοί.
ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπροέηκε θοῇσι
ὁρμαίνων, ἤ κεν θάνατον φύγῃ ἤ κε ϝαλώῃ.

Non admodum verisimilis mihi videtur coniectura qua tollere ineptum istud *νήσοισι θοῇσι* conamini; sed fingite aliquo modo remotam illam maculam, restabit tamen versus 300, qui totus est absurdissimus, quia *ὁρμαίνειν* ea structura sequente. quam nunc habemus, nihil aliud significare potest quam: „deliberare quid s i t f a c i e n d u m." Deliberat ergo Telemachus utrum pereundum sibi sit an mors vitanda! Utrumque versum equidem deleverim utpote insertum ab eo qui versum 298 non esse aptam longioris narrationis clausulam putaret.

322 sqq. Procis se ministerium suum oblaturum Eumaeo hospes significat enumeratque res quas apte periteque facere possit et alias et has:

πῦρ τ' εὖ νηῆσαι διά τε ξύλα δανὰ κεάσσαι
δαιτρεῦσαί τε καὶ ὀπτῆσαι καὶ ϝοινοχοῆσαι,
οἷά τε τοῖσ' ἀγαθοῖσι παραδράουσι χέρηες.

Aliquo modo efficiendum puto ut istud *τοῖσ'*, quod hic, tam quam si in sermone pedestri versaremur, articuli vice fungitur, eximatur.

331 sq. A proposito abducere hospitem conatur Eumaeus narrando quam sint formosi nitidique ministri quibus proci utantur. Iuvenes illi sunt

χλαίνας εὖ ϝειμένοι ἠδὲ χιτῶνας,
αἰεὶ δὲ λιπαροὶ κεφαλὰς καὶ καλὰ πρόσωπα.

Vitii latere aliquid suspicor: ineptum enim videtur *λιπαροί* non *πρόσωπα* sed *καλὰ πρόσωπα.*

Iam ad famosum illum perveni versum (373):

τῶν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα

de quo post tot virorum doctorum disputationes tacere mallem. Sed quoniam nemo horum mihi persuasit, adiicienda etiam pagina videtur volumini spisso quod iam de hac quaestione est impletum. Rideo ergo cum Cobeto grammaticos in aula Ptolemaeorum viventes, qui, ne castas aures offenderet loquendi simplicitas, *αἰδοίοισι* hic esse masculini generis et supplices significare commenti sunt. Minus tamen, si fieri potest, ipsius Cobeti mihi placet opinio, qui hic Eumaeum aperte dicentem facit: „hinc edi bibi amavi." Nam absurdum videtur in vitam heroicam atque adeo insulae remotae remotum agrum auro venalem Venerem introducere. Quodsi rem ipsam aliquo modo probare possem, tamen eam illis verbis hic enuntiari potuisse pertinaciter negarem: „hinc amavi" dicere turpe visum est Alexandrinis, sed ad eam rem significandam iis uti vocabulis, quae nunc Eumaeo dantur, non turpe fortasse est sed haud dubie ineptum; non enim rusticae simplicitatis illa sunt sed scurrilis atque ridiculae impudentiae. Ergone coniectura molesta illa vox removenda, cumque Nabero *αἰτίζουσιν* legendum vel *ἀλλοδαποῖσιν*? Minime, hercle. Quot enim mendicos, quotve peregrinos ad Eumaei tugurium, quamdiu ruri ille vixit, iam venisse censeamus? Unum, ut opinor, Ulyssem; ipse vero Eumaeus ullum venturum unquam non exspectavit, neque verisimile eum nummulorum aliquid seposuisse unde *τὴν ἐλεημοσύνην* faceret. Nihil hic mutandum, retinendum *αἰδοίοισι*, neutrius generis illud est, et significat quod norunt omnes. Nunc totum locum denuo aspiciamus. In quanto apud Laërtem eiusque uxorem fuisset honore narravit Eumaeus, addiditque se cum eorum filia natu minima una educatum; illam postea foras in matrimonium datam, se a domina rus missum cum pulchris vestimentis calceamentisque: „illa enim permagni me faciebat" ait (*ἐφίλει δέ με κηρόθι μᾶλλον*). Sequitur: *νῦν δ' ἤδη*

τούτων ἐπιδεύομαι i. e.: nunc caris illis capitibus carendum mihi est,"

ἀλλά μοι αὐτῷ
ϝέργον ἀέξουσι μάκαρες θεοὶ, ᾧ ἐπιμίμνω

i. e. „sed dum solus hic vivo deorum benevolentia fit ut largos ex agro meo percipiam fructus." Paulo post: „sed a (praesente) domina mea nunquam quidquam accipio, neque donum aliquod neque blanda verba, calamitas enim nova domum eius invasit." Interiicitur autem (post versum ϝέργον — ἐπιμίμνω):

τῶν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα.

πόθεν οἱ ἀόριστοι οὗτοι; οὐ κλαύσονται; Dixerit aliquis sic vertendum versum: „hinc hucusque edi e. q. s." Quasi véro iam hac vexetur cura Eumaeus, quid se futurum sit, cum propter aetatem labori rustico par non erit. Et ipsum illud hucusque, quod tamen aliquem huic loco sensum praebere poterat, longe abest. Postremo istud τῶν quo referendum? Sed iam tempus est dicere quid mihi velim. Totum versum una litura delendum censeo. Audacem me dicitis? Multo mihi videntur audaciores, qui vocabulum αἰδοίοισι coniecturis sollicitant, certe ineptiores multo qui novam ei praebent sententiam. Denique audax dici et quidvis ferre malo quam de empto amore Eumaeum hic spurcis vocabulis loqui credam. At quomodo irrepsisse versum dicamus? Rem, ita ut mihi facta videtur, certe fieri potuisse, explicabo. Totum versum parodiam sapere quis negabit? Scriptus fortasse olim fuit in ludicro aliquo poëmate, quod satis perite sermone epico consarsinavit homo aliquis ridiculus, ceteris omnibus innotuit magis, mox in ore erat populi, inhaerebat memoriae. Tandem aliquando, cum totum istud ἐπύλλιον iam oblivione obrutum esset, ille tamen restitit et identidem, si res ita ferebat, ab hominibus citabatur. Postremo genuinus ille Homeri versus haberi coeptus est: quaerendus ergo locus erat ubi insereretur, atque nullus visus aptior quam hic, ubi aliquis de plebe homo de sua narrat vita victuque.

380 sqq.

τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς·
ὢ πόποι, ὡς ἄρα τυτθὸς ἐὼν, Εὔμαιε συβῶτα,
πολλὸν ἀπεπλάγχθης σῆς πατρίδος ἠδὲ τοκήων.
ἀλλ' ἄγε μοι τόδε ϝειπὲ κτἑ.

Hic vos auctore Friedlaendero versus 381 sq. deletis. Sed quis unquam verbis *ἀλλ' ἄγε* allocutionem est exorsus?

398 sqq. Plura audiendi narrandique cupidus Eumaeus „dormiat qui velit" ait

νῶι δ' ἐνὶ κλισίῃ πίνοντέ τε δαινυμένω τε
κήδεσιν ἀλλήλων τερπώμεθα λευγαλέοισι,
μναομένω· μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ,
ὅς τις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πόλλ' ἐπαληθῇ.

Omnino vobiscum facio versum 401 damnantibus, sed multo etiam illa sorte dignior vs. 400 videtur. Utroque autem eiecto simul quomodo nata sit interpolatio apparet. „Alter alterius delectemur malis" Eumaeus ait: crudele hoc inepto grammatico visum et aliqua explicatione mitigandum. Nunc vel uno illo *μναομένω* manifestus tenetur sciolus.

403 sqq. Sic de patria sua et parentibus narrare Eumaeus incipit:

νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, εἴ ποθ' ἀκούεις,
Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο,
οὔ τι περιπληθὴς λίην τόσον, ἀλλ' ἀγαθὴ μὲν,
εὔβοτος εὔμηλος ϝοινοπληθὴς πολύπυρος.

Quis unquam particulam *μέν*, sicut fit vs. 405, positam vidit in fine sententiae simul et versus, et cum particula *ἀλλά* negationi oppositam? Ne mediocris quidem poëtae illud esse opinor, sed olim lectum hic fuisse suspicor:

οὔ τι περιπληθὴς λίην τόσον, ἀλλὰ μάλ' ἐσθλή.

Postquam *μάλ'* praecedenti *ἀλλά* absorptum est, aliquis ex

ἀγαθή, quod supra ἐσθλή interpretandi causa positum erat, utcumque iustam effecit versus clausulam.

445 Phoenissa mulier, cui se puerum commissum fuisse Eumaeus narrat, cum rectore Phoeniciae navis, forte ad insulam eius appellentis, paciscitur ut ipsa in patriam suam reducatur, tum se puerum illum, regis filiolum, secum clam abducturam ut longe a parentibus veneat: eiusmodi enim puerum esse illum e quo magnum fieri lucrum possit. Haec autem cives suos iubet:

ἀλλ' ἔχετ' ἐν φρεσὶ μῦθον, ἐπείγετε δ' ὦνον ὁδαίων.

Vocabula ὦνον ὁδαίων sic vertitis „emptionem mercium reportandarum," vix recte, ut opinor. Est enim ὦνος non e m p t i o, sed p r e t i u m quo emitur, cf. vs. 429 ὃ δ' ἄξιον ὦνον ἔδωκε. Ergo ἐπείγετε δ' ὦνον ὁδαίων sic verterim: „facite ut quam primum ab huius terrae incolis rerum, quas venales habetis, persolutum vobis sit pretium" sive „facite ut hi homines quam primum vos absolvant." Sententia tamen eodem redit: pro pretio enim Phoenices accipiunt non aurum argentumque sed frumentum. Hoc est quod versu 456 dicitur:

ἐν νηὶ γλαφυρῇ βίοτον πολὺν ἐμπολάοντο.

457 In navem ergo Phoenices frumentum illud pro pretio acceptum coniiciunt. Sequitur:

ἀλλ' ὅτε δὴ κοίλη νηῦς ἤχθετο τοῖσι νέεσθαι.

Quid istud νηῦς ἤχθετο τοῖσι νέεσθαι sibi velit nescio; et neque quomodo verba illa defendi neque quomodo probabiliter emendari possint video.

466 Deinde de perfida illa ancilla haec narrantur:

ηὗρε δ' ἐνὶ προδόμῳ ἠμὲν δέπα' ἠδὲ τραπέζας.

Res, quas in vestibulo aedium i n v e n i s s e ancilla dicitur, nimirum eae sunt quarum unam alteramque furatur. Ergo ne

mensas in sinu celare dicatur efficiendum est, si non leni emendatione at audaci.

518 sqq. Telemachi navis ab itinere redit Ithacam: non tamen statim ad urbem dirigitur, sed prius *ἐν ὅρμῳ τινι* alligatur, ubi Telemachus eiusque socii in terra prandium capiunt. Quo peracto Theoclymenus exsul, quem secum duxit, Telemachum rogat ad quemnam Ithacensium se convertat. Respondet Telemachus; „alio tempore te meam domum ire iuberem, sed nunc id facere non possum, quia neque ipse adero neque te mater mea videre poterit." Tum haec addit:

ἀλλά τοι ἄλλον φῶτα πιφαύσκομαι, ὅν κεν ἵκοιο,
Εὐρύμαχον Πολύβοιο δαΐφρονος ἀγλαὸν υἱὸν,
τὸν νῦν Ϝῖσα θεῷ Ἰθακήσιοι εἰσοράουσι·
καὶ γὰρ πολλὸν ἄριστος ἀνὴρ μέμονέν τε μάλιστα
μητέρ᾽ ἐμὴν γαμέειν καὶ Ὀδυσσῆος γέρας ἴσχειν.

Quid sibi vult haec Eurymachi commemoratio? Mox enim iussu Telemachi non ab Eurymacho sed a Piraeo recipi hospitem legimus. An primum neminem potiorem habet Telemachus quem nominet quam futurum illum Ithacensium regem, sed mutat consilium quia mox avis quaedam certam portendit omnium procorum interitum? (vs. 525 sqq.).

547 sqq. Paratum ergo se declarat Piraeus ad hospitem recipiendum. Sequitur:

ὣς Ϝειπὼν ἐπὶ νηὸς ἔβη, ἐκέλευσε δ᾽ ἑταίρους
αὐτούς τ᾽ ἀμβαίνειν ἀνά τε πρυμνήσια λῦσαι·
οἳ δ᾽ αἶψ᾽ ἔσβαινον καὶ ἐπὶ κληῖσι καθῖζον.
Τηλέμαχος δ᾽ ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
εἵλετο δ᾽ ἄλκιμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέι χαλκῷ
νηὸς ἀπ᾽ ἰκριόφιν· τοὶ δὲ πρυμνήσι᾽ ἔλυσαν.
οἳ μὲν ἀνώσαντες ᾽πλέον ἐς πόλιν, ὡς ἐκέλευσε
Τηλέμαχος φίλος υἱὸς Ὀδυσσῆος θείοιο·
τὸν δ᾽ ὦκα προβιβάντα πόδες ᾽φέρον, ὄφρ᾽ ἵκετ᾽ αὐλήν.

Mira hic res narratur: sponte ad Piraeum imperium navis transire propter Telemachi absentiam. Nam ad Piraeum, quandoquidem eius fuerunt ultima verba, referenda sunt ista ὣς ϝειπών, neque Telemachus esse potest ille de quo legimus:

ἐπὶ νηὸς ἔβη, ἐκέλευσε δ' ἑταίρους
αὐτούς τ' ἀμβαίνειν κτἑ.

Telemachus enim convenienter rei, quam in animo habebat, ipse in terra remanens comites sic modo (503 sq.) est allocutus:

ὑ̃μες μὲν νῦν ϝάστυδ' ἐλαύνετε νῆα μέλαιναν,
αὐτὰρ ἐγὼν ἀγροὺς ἐπιόψομαι ἠδὲ βοτῆρας.

Dixerit aliquis tamen et Telemachum conscendisse navem, unde ἀπ' ἰκριόφιν (vs. 552) hastam sumeret. At facere illud fortasse potuit in litore stans; non enim, ut opinor, admodum altum latumve fuit navigium: praeterea non legimus eum de nave descendisse priusquam comites ἀνέωσαν. Sed, ut iam dicebam, totus locus 547—557 ineptissimus est, additusque ab eo videtur qui illo Piraei responso apte claudi librum non putaret. Nihil tamen desiderat lector prudens ubi Telemachi ad comites verba (503 sq.) audivit, et praeterea bene Theoclymeno prospectum cognovit. Ea quae usque ad Telemachi in Eumaei stabulum adventum (π 4) intercedunt nullo negotio cogitando supplet.

LIBER XVI.

33 sqq. Ab Eumaeo salutatus Telemachus „agedum" ait „narra mihi"

ἤ μοι ἔτ' ἐν μεγάρῳ μήτηρ μένει, ἦέ τις ἤδη
ἀνδρῶν ἄλλος ἔγημεν, Ὀδυσσῆος δέ ποθ' εὐνὴ
χήτε' ἐνευναίων κάκ' ἀράχνια κεῖται ἔχουσα.

Annotatis: „quid sint *ἐνεύναια* ex § 51 apparet." Equidem nullum esse substantivum *ἐνεύναια* opinor; sed *ἐνεύναιος* adiectivum est, quo cum, ut § 51 fit, substantivo *δέρμα* additur, significatur eo lectum sterni solere, et quidem quia *αὐτοῦ* accedit, ipsius Eumaei lectum. Non tamen hic vocis *ἐνευναίων* eam esse vim opinor ut *χήτε' ἐνευναίων* significet „quia nullae insunt stragulae." Stragulae enim non prohibent quominus filis suis lectum intexant araneae. In unoquoque id loco faciunt qui, nullis eo venientibus hominibus, negligitur. Atque idem hic dici puto et *χήτε' ἐνευναίων* esse: „quia nulli ibi dormire solent homines."

42 Introit ergo Eumaei stabulum Telemachus.

τῷ δ' ἕδρης ἐπιόντι πατὴρ ὑπέϝειξεν Ὀδυσσεύς

Immo vero *ὑπέϝεικεν*: cedere Telemacho sede sua volebat Ulysses, sed vetuit Telemachus:

ἧσο, ξεῖν'· ἡμες δὲ καὶ ἄλλοθι δήομεν ἕδρην.

49 sq. Considit ergo Telemachus in ramalibus quibusdam vellere ab Eumaeo constratis.

τοῖσιν δὲ κρεάων πίνακας παρέθηκε συβώτης
ὀπταλέων, ἅ ῥα τῇ προτέρῃ ὑπέλειπον ἔδοντες.

Estne Homericum illud τῇ προτέρῃ, articulo addito? Non opinor.

65 sq. Rogatus a Telemacho quis sit hospes ille paucis verbis repetit Eumaeus quae ipse Ulysses pridie narravit, et sic narrationem concludit:

νῦν αὖ Θεσπρωτῶν ἀνδρῶν παρὰ νηὸς ἀποδρὰς
ἤλυθ' ἐμὸν πρὸς σταθμόν. ἐγὼ δέ τοι ἐγγυαλίξω.

Quando faciet Eumaeus quod se facturum dicit, et quomodo? Manibusne post terga revinctis hospitem filio erili tradet? Minime: non enim illud ἐγγυαλίζειν verbum hic tamquam stricto sensu dictum est accipiendum, neque facturum se aliquid promittit Eumaeus, sed statim his verbis:

ϝέρξον ὅπως ἐθέλεις· ἱκέτης δέ τοι εὔχεται εἶναι

hospitem Telemachi permittit arbitrio. Lege ergo: ἐγγυαλίζω. In mentem hic mihi venit Lysiae loci lepidissime ingeniosissimeque a Weidnero in integrum restituti. Qui verba facit modo narravit de aliqua re acta in comitiis populi, additque: καὶ τούτων ἐγὼ ὑμᾶς πάντας μάρτυρας παρέξομαι, quasi vero finita oratione totum populum viritim testimonium sibi dicere sit iussurus. Primus Weidnerus vidit παρέχομαι esse legendum.

147 sqq. Rogatus ab Eumaeo Telemachus etiamne avum Laërtem de reditu suo certiorem fieri velit, quoniam miser ille plane sit afflictus ex quo nepos iter illud susceperit, respondet:

ἄλγιον· ἀλλ' ἔμπης μιν ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.
εἰ γάρ πως εἴη αὐτάγρετα πάντα βροτοῖσι,
πρῶτόν κεν τοῦ πατρὸς ἑλοίμεθα νόστιμον ἦμαρ.

Quantocius recipiendam in textum censeo coniecturam

vestram πρῶτά κεν αὐτοῦ πατρός. Nimis enim inepte isto τοῦ πατρός violatur sermo epicus.

181 sq. Profecto Eumaeo Minerva Ulyssi, qui hactenus senex decrepitus visus erat, corpus dat iuvenile vestemque nitidam. Stupet ergo Telemachus ubi oculos in eum convertit atque sic loquitur:

ἀλλοῖός μοι, ξεῖν', ἐφάνης νέον ἠὲ πάροιθε,

ἄλλα δὲ Ϝείματ' ἔχεις καί τοι χρὼς οὐκέθ' ὁμοῖος.

Erunt qui priorem versum sic vertant: „alius mihi nunc, hospes, videris atque antea visus es"; sed respuit istam versionem accuratior vocabulorum consideratio. Non enim νέον est n u n c sed m o d o (ante brevissimum tempus), neque ἐφάνης est v i d e r i s sed v i s u s e s. Non facile ergo e traditis verbis sanum extundas sensum, sed emendatione opus est. Nullo autem negotio restituitur id ipsum quod hic requiritur. Legendum enim:

ἀλλοῖός μοι, ξεῖν', ἐφάνης νέον ἠδὲ πάροιθε

„alius mihi, hospes, m o d o e t a n t e a visus es (quam nunc)". M o d o e t a n t e a: quam egregie illa verba mirantem decent adolescentem. Ipso enim praesente in iuvenem convertit Ulyssem Minerva; tantummodo nutu eum foras ad se vocaverat; sed tam cito in stabulum Ulysses rediit ut absentiam eius vix sentire Telemachus potuerit. Ad totam ergo illam conversionem brevissima quadam opus fuit horae particula. Nunc ubi iterum eum conspicit Telemachus exclamat: „quam mutatus tu es ab eo qui fueras modo, cum tecum colloquebar, et omnino ex quo huc adveni."

241 sqq. Agnitus a filio Ulysses de procorum numero eum interrogat: scire enim se velle utrum solus cum filio eos vincere possit proelio an sociis opus sit. Hic Telemachus exclamat:

ὦ πάτερ, ἦ τοι σεῖο μέγα κλέος αἰὲν ἄκουον,
χεῖράς τ' αἰχμητὴν ἔμεναι καὶ ἐπίφρονα βουλήν·
ἀλλὰ λίην μέγ' ἔϜειπες· ἄγη μ' ἔχει· οὐδέ κεν εἴη
ἄνδρε δύω πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισι μάχεσθαι.

In procis est, opinor, dubitabilis virtus, paucique tantum eorum revera fortes dici possunt. Quare videndum annon legendum sit:

ἄνδρε δύω πολλοῖσι καὶ ἰφθίμω μαχέσασθαι

„non possunt duo, etiamsi fortes sunt, cum magna pugnare multitudine."

245 sqq. Sequitur:

μνηστήρων δ' οὔτ' ἂρ δεκὰς ἀτρεκὲς οὔτε δύ' οἶαι,
ἀλλὰ πολὺ πλέονες — τάχα Ϝείσεαι ἐνθάδ' ἀριθμόν, —
247 ἐκ μὲν Δουλιχίοιο δύω καὶ πεντήκοντα
κοῦροι κεκριμένοι, Ϝὲξ δὲ δρηστῆρες ἕπονται·
ἐκ δὲ Σάμης πίσυρες καὶ ἐϜείκοσι φῶτες ἔασι,
250 ἐκ δὲ Ζακύνθου ἔασιν ἐϜείκοσι κοῦροι Ἀχαιῶν,
ἐκ δ' αὐτῆς Ἰθάκης δύο καὶ δέκα πάντες ἄριστοι.
καί σφιν ἅμ' ἐστὶ Μέδων κήρυξ καὶ θεῖος ἀοιδὸς
καὶ δοιὼ θεράποντε δαήμονε δαιτροσυνάων.

Omnino probo quod versus 247—251 damnatis, dummodo vs. 246 pro ἐνθάδ' recipiatis (quod vobis quoque verum videtur) αὐτός; alioqui contrarium dicitur eius quod hic requiritur: „mox ipse eorum numerum scies, cognosces, videbis," [1]) non ἐνθάδε verum κεῖθι in tuis aedibus: si enim ἐνθάδε cognoscet numerum Ulysses ex filii enumeratione cognoscendus ei est. Quapropter ipsam illam vitiosam lectionem ἐνθάδε totius interpolationis ansam dedisse suspicor. Et ineptum est cum dixeris: „mox cognitum habebis numerum" statim subiicere accuratam recensionem. Sed nunc multo magis opus est ut versus 252 sq.

[1]) Vide quae de huius verbi significatione diximus ad L. VI vs. 257.

abiiciantur: qui enim agmina procorum non metuit, illum scilicet terrebunt Medon κῆρυξ cum duobus ministris, quamvis illi sint periti structores.

348 sqq. Allato de Telemachi ad Eumaeum adventu nuntio tristes procos tristis ipse haec monet Eurymachus:

ἀλλ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν, ἥ τις ἀρίστη,
ἐς δ' ἐρέτας ἁλιῆας ἀγείρομεν, οἵ κε τάχιστα
κείνοισ' ἀγγείλωσι θοῶς Ϝοῖκόνδε νέεσθαι.

Ad vs. 349 annotatis: „ἁλιῆας hoc loco et ω 419 nautas significat, alias (μ 251 χ 384) piscatores." Sed ego credo quod substantivum semel piscatorem significet semper piscatorem significare, neque quidquam obstare quominus et ω 419 eo sensu accipiatur. Illic enim corpora procorum peregrinorum ἁλιεῦσι dari dicuntur navibus transportanda. Quidni autem lintribus suis singula binave corpora piscatores vehant? Sed fac tamen, id quod ego nego, nautarum quoque illud nomen esse: habebimus ergo hic: remiges nautas, quod quis dixit unquam? An latius hic patet illius vocis sensus ut adiectivi vicem impleat sitque fere idem quod marinus? Hoc illo minus etiam verisimile. Et terrestres remiges risum movent; tamen si ἁλιῆας hic adiectivi vim habet, nemo tamquam epitheton ornans illud accipiet. Unum restat ut Eurymachi haec sit sententia: „piscatores cogamus qui in illa nave remigum fungantur officio". Verum quid tam longe petamus explicationes interpretationesque? Nonne hoc multo verisimilius huius loci poëtam, cum probe memoria teneret illa ex primo Iliadis libro:

νῦν δ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν,
ἐν δ' ἐρέτας ἐπίτηδες ἀγείρομεν

hic quoque ἐρέτας ἐπίτηδες scripsisse, atque postea exortum esse aliquem qui illud ἐπίτηδες suprascribendo ἅλις illustraverit (nam est haec fere adverbii ἐπίτηδες vis), quod, cum forte ἐπίτηδες

minus commode legi posset, in textum irrepserit, sed ita mutatum ut iustus hexameter expleretur?

421 sq. Penelope insidias a procis Telemacho structas cum cognoverit in Antinoum et aliis invehitur verbis et hisce:

μάργε, τίη δὲ σὺ Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε
ῥάπτεις; οὐδ' ὁσίη κακὰ ῥαπτέμεν' ἀλλήλοισι

pro *ἀλλήλοισι* coniicitis *ἀλλοδαποῖσι*, quoniam versu sequenti Antinous peregre venisse dicatur. At fieri non potest quin dativus illo loco positus sit dativus obiectivus, ergo illud *ἀλλοδαποῖσι* sic vertendum erit: „iis qui te hospitio exceperunt". Quod vetat sermonis indoles.

428 Revocat autem Alcinoo in memoriam Penelope quomodo pater eius olim supplex Ithacam venerit. Iram enim sui ipse moverat populi, ergo:

τόν ῥ' ἔθελον φθῖσαι καὶ ἀποῤῥαῖσαι φίλον ἦτορ.

Corruptane haec a librario an ipse poëta sermonis epici tam fuit imperitus ut non sentiret quam istud *ἀποῤῥαῖσαι φίλον ἦτορ* ineptum esset? Naves *ῥαίει* Neptunus, atque ab illa stirpe mallei nomen *ῥαιστήρ* natum est.

LIBER XVII.

10 sqq. Ad urbem proficiscens Telemachus Eumaeo haec mandat:

> τὸν ξεῖνον δύστηνον ἄγ' ἐς πόλιν, ὄφρα κε κεῖθι
> δαῖτα πτωχεύῃ· δώσει δέ Ϝοι ὅς κ' ἐθέλῃσι
> πύρνον καὶ κοτύλην· ἐμὲ δ' οὔ πως ἔστιν ἅπαντας
> ἀνθρώπους ἀνέχεσθαι ἔχοντά περ ἄλγεα θυμῷ.
> ὃ ξεῖνος δ' εἴ περ μάλα μηνίει, ἄλγιον αὐτῷ
> ἔσσεται· ἦ γὰρ ἐμοὶ φίλ' ἀληθέα μυθήσασθαι.

Bis me hic offendit vocabulum ὃ tamquam articulus positum. Primum vs. 10. Nam quod ad illum Aristarchus conferebat Φ 317 quis non videt quantum intersit? Illic enim Scamander Simoentis auxilium contra Achillem invocat, et quam sibi persuasum habeat illum ab ambobus victum profligatumque iri sic significat:

> φημὶ γὰρ οὔτε βίην χραισμησέμεν' οὔτε τι Ϝεῖδος
> οὔτε τὰ τεύχεα καλά.

Quantum hic acerbitatis inest in verbis τὰ τεύχεα καλά: ista pulchra arma, quamque ipsa acerbitas decet deum ira incensum. At hic τόν nil nisi τὸ κεχηνὸς τοῦ μέτρου implet. Sed corruptumne versum dicam an imperite structum incertus sum. Neque minus molestum mihi vs. 14 ὃ ξεῖνος. Ille vero versus quid omnino sibi velit non exputo. An hoc dicit Telemachus: „hic vero hospes, si mihi succensebit (quod mendicari se sinam

neque ipse recipiam) sua ira vexabitur ipse"? At tum omnino μοι erat addendum et succensendi verbum in futuro ponendum. Et quorsum istud ἦ γὰρ ἐμοὶ φίλ' ἀληθέα μυθήσασθαι pertinet? Quasi vero dixerit aliquid Telemachus quod vix quisquam proloqui ausus esset.

150 sq. Matri Telemachus de suo narrat itinere, seque e Menelao audisse addit patrem desidere etiam apud Calypso neque redire posse quia navis ei praesto non sit; se vero Sparta felici navigatione in patriam rediisse. Sequitur:

ὣς 'φάτο, τῇ δ' ἄρα θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινε.
τοῖσι δὲ καὶ μετέϝειπε Θεοκλύμενος θεοϝειδής.

Exciditne inter duos hosce versus aliquis pluresve, an hic poëta et ipse illorum fuit hominum quos toties reprehendit in Scholiis ad Iliadem Aristarchus, quod veram vim verborum τῷ (τῇ) δ' ἄρα θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινε ignorent? Egregie enim ille docet non de certo quodam animi affectu illud poni, sed semper eam formulam adhiberi, cum significetur alicuius verba alterum ad aliquam rem faciendam movere: sequi ergo debere quid alter ille faciat Nostrone ergo loco iisdem illis verbis hoc fere dicitur: „ita narrando Telemachus matrem placavit tristitiamque eius fugavit"? Nam revera irata fuit Penelope tristisque quod, cum satis diu iam domi fuisset, tamen nihildum de sua peregrinatione narrasset (vs. 101—106).

274 sqq. Verba Eumaei ad Ulyssem, cum ad huius pervenerunt aedes, haec sunt:

ἀλλ' ἄγε δὴ φραζώμεθ' ὅπως ἔσται τάδε ϝέργα·
ἠὲ σὺ πρῶτος ἔσελθε δόμους εὖ ναιετάοντας,
δύσεο δὲ μνηστῆρας, ἐγὼ δ' ὑπολείψομαι αὖθι·
εἰ δ' ἐθέλεις, ἐπίμεινον, ἐγὼ δ' εἶμι προπάροιθε.
μηδὲ σὺ δηθύνειν, μή τίς σ' ἔκτοσθε νοήσας
ἢ βάλῃ ἢ ἐλάσῃ.

Respondet Ulysses:

γιγνώσκω, φρονέω· τά γε δὴ νοέοντι κελεύεις.
282 *ἀλλ' ἔρχευ προπάροιθεν, ἐγὼ δ' ὑπολείψομαι αὖθι.*

Non tam forma novicia *ἔρχευ* mihi displicet quam quod neque *ἐγώ* neque *δέ* praemissum habeant quidquam quo possint referri. Quod autem vobis in mentem venit *ἔρχεο δὲ προπάροιθεν* verum esse posse non videtur quia, ubi quis e duabis rebus propositis alteram eligit omnino opus est coniunctione sed, quia haec fere est loquentis mens: utrumque bonum, sed tamen hoc illo magis arridet. Quidni legamus:

ἀλλὰ σὺ μὲν προπάροιθεν, ἐγὼ δ' ὑπολείψομαι αὖθι.

In festinata enim deliberatione aptissima est eiusmodi brevitas et alicuius vocabuli omissio. Supplendi autem conamina versum corruperunt.

284 sqq. Deinde haec Ulysses addit:

τολμήεις μοι θυμὸς, ἐπεὶ κακὰ πολλὰ πέπονθα
κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω·
γαστέρα δ' οὔ πως ἔστιν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν.

Pro inepto *ἀποκρύψαι* Clem. Alex. habet *ἀποπλῆσαι* quod ineptius etiam: omnino enim inplendus venter est. Ille tamen viam monstrat. Legendum enim videtur *ἀποκλῇσαι* (quae recentior forma in hac certe parte carminis utique ferenda est). Cum fera aliqua *γαστήρ* comparatur, quia et ipsa est *μεμαυῖα*, sed non possumus illam clausam tenere: semper enim urget.

304 sq. Conspecto cane suo, qui ab omnibus neglectus senioque confectus tamen dominum agnoscit, Ulysses

νόσφι Ϝιδὼν ἀπομόρξατο δάκρυ,
ῥεῖα λαθὼν Εὔμαιον, ἄφαρ δ' ἐρεείνετο μύθῳ·

Nusquam vocabulum minus apte positum vidi quam hic istud *ῥεῖα*. Tum enim recte *ῥεῖα* aliquis aliquid facere dicitur, cum demonstrandum est quanto ille homo vel corporis viribus

vel alia quadam facultate ceteros omnes vincat superetque: in qua enim re multi coniuncti frustra desudant hanc illé facile et nullo negotio peragit. Quodsi quis *ῥεῖα λανθάνειν* dicitur, quanta eius sit velocitas observare iubemur: iam elapsus erat et procul abierat cum abesse eum ceteri viderunt. Dei autem est *ῥεῖα λαθόντα* aliquo venire, in aedes penetrare, subito alicui assistere. Multi homines alicubi adsunt, excubias agunt aliove modo aliquem locum custodiunt; deus tamen ea facultate est praeditus ut *ῥεῖα λαθών* ceteros confestim uni eorum appareat. Homo illud nullo modo facere potuisset, deus vero non solum facit sed etiam facile. Quis autem unquam velocitatis suae dedit documentum lacrima abstergenda? Cuiusvis hominis est ita illud facere ut nemo videat: non requiritur ad illud negotium deus vel homo dis amicus. Aut ergo vitium hic latet in *ῥεῖα λαθὼν Ἐύμαιον*, aut verbis illis olim libri lacuna est impleta, aut denique venustissimae narrationis poëta, dum diligenter vetusti vatis sermonem imitatur non semper accurate singulorum vocabulorum formularumve, quae aliunde deprompsit, vim perpendit.

313 De eodem cane Eumaeus dicit:

εἰ τοιόσδ᾽ εἴη ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ ἔργα κτἑ.

Hic vos cum Knightio *ἠδέ τε Ϝέργα* legitis. Satius, ut opinor, fuerit nihil mutare, ut etiam e literae Aeolicae defectu appareat praestantissimum hunc locum a recentiore poëta compositum. Nam *ἠδέ τε* legitimam esse particularum compositionem vix credo.

330 sqq. Telemachus omnium primus appropinquantem videt Eumaeum nutuque ad se vocat:

ὃ δὲ παπτήνας ἕλε δίφρον
κείμενον, ἔνθα τε δαιτρὸς ἐφίζεσκε κρέα πολλὰ
δαιόμενος μνηστῆρσι δόμον κάτα δαινυμένοισι·

τὸν κατέθηκε φέρων πρὸς Τηλεμάχοιο τραπέζαν
ἀντίον, ἔνθα δ' ἄρ' αὐτὸς ἐφέζετο. Τῷ δ' ἄρα κῆρυξ
μοῖραν ἑλὼν ἐτίθει κανέου τ' ἐκ σῖτον ἀείρας.

Duo hic vocabula absurdissime posita videntur: primum (vs. 334) αὐτός. Quid enim? Ipse Eumaeus sellam elegit, ipse attulit, ipse apposuit: sequi nunc debet: in illa ergo assedit, non ἔνθα δ' ἄρ' αὐτὸς ἐφέζετο, quoniam αὐτός tum demum recte additur si quis alienam occupat sellam, quam tamen loco non moverit. Deinde μοῖραν: partem, frustum; cuius rei? „Carnis" dixerit aliquis. At non licebat illam vocem omittere. Sed nihil muto: invitis enim Musis uterque versus compositus videtur. Observate praeterea quam languida sit vs. 334 particulae ἄρα repetitio.

381 sqq. Increpitus ab Antinoo quod mendicum ultro invitatum secum adduxerit sic Eumaeus respondet:

Ἀντίνο', οὐ μὲν καλὰ καὶ ἐσθλὸς ἐὼν ἀγορεύεις·
τίς γὰρ δὴ ξεῖνον καλεῖ ἄλλοθεν αὐτὸς ἐπελθὼν
ἄλλον γ', εἰ μὴ τῶν οἳ δημιοϝεργοὶ ἔασι,
μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων
ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδόν, ὅ κεν τέρπῃσιν ἀείδων;
οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν·
πτωχὸν δ' οὔ κέν τις καλέοι τρύξοντά ἑ αὐτόν.

Pro ἑ reposuistis μιν: sic certe durissimus vitatur hiatus. Sed restat aliquid haud minus molestum. Ubi enim hoc uno loco excepto in poësi epica μιν αὐτόν legitur? Quod ne eum quidem sensum praebere videtur quo hic opus est. Scribendum ergo pro αὐτόν censeo aut αὐτός: „quis ipse advocet mendicum, qui nil nisi damnum sit allaturus?" Aut αὔτως: „quis mendicum adducat, qui sic temere bona comedat neque ullo labore utili damnum illatum compenset?"

482 sqq. Cum scabellum in Ulyssem Antinous coniecisset,

ceteri omnes graviter tulerunt sic miserum mendicum affectum iniuria:

ὧδε δέ τις Ϝείπεσκε νέων ὑπερηνορεόντων·
„Ἀντίνο᾽, οὐ μὲν κάλ᾽ ἔβαλες δύστηνον ἀλήτην·
484 *ὀλόμεν᾽, εἰ δή πού τις ἐπουράνιος θεός ἐστι.*

Aut corruptum est versus 484 initium aut qui illum fecit veram vim vocis *ὀλόμενος* ignorabat et *ὀλόμενε* hoc fere sensu posuit:

o periture, tuaque aliis exempla dature
morte.

Nam sic demum recte adiungitur: „si quis in coelo regnat deus.“

513 sqq. Iubet Eumaeum Penelope mendicum illum, quem adduxerit, ad se mittere: cupere enim se de Ulysse eum interrogare, quia speciem prae se ferat hominis, qui multum erraverit multaque viderit. Hic Eumaeus respondet:

εἰ γάρ τοι, βασίλεια, σιωπήσειαν Ἀχαιοί·
οἷ᾽ ὅ γε μυθέεται, θέλγοιτό κέ τοι φίλον ἦτορ.
τρεῖς γὰρ δή μιν νύκτας ἔχον, τρία δ᾽ ἤματ᾽ ἔρυξα
ἐν κλισίῃ· πρῶτον γὰρ ἔμ᾽ ἵκετο νηὸς ἀποδράς·
ἀλλ᾽ οὔ πω κακότητα διήνυσε Ϝὴν ἀγορεύων.

Cur *ἔχον* in imperfecto et *ἔρυξα* in aoristo? Et quid inter haec verba interest? Nihil aliud, ut opinor, quam quod hoc rectissime positum est, illud vero ineptissime. Quis enim unquam sic locutus est: *εἶχον τὸν ξένον*? At quid hic requiritur? Videamus quae praecedunt: „quam tu, regina, hospitis narrationibus delectaberis.“ Quid sequi debet? Nempe: „expertus hoc dico, nam e g o per tres noctes diesque narrantem eum lubentissime audivi: et ne illo quidem temporis spatio ad finem pervenire potuit.“ Lege ergo

τρεῖς γὰρ δή μιν νύκτας ἐγὼ τρία τ᾽ ἤματ᾽ ἔρυξα

pro frigidissimo dicto lepidissimum habebis.

530 sqq. Magis nunc Penelope instat ut quantocius hospes ad se arcessatur, atque acerbe conquerens haec de procis addit

οὗτοι δ' ἠὲ θύρηφι καθήμενοι ἑψιαέσθων
ἢ αὐτοῦ κατὰ δώματ'. ἐπεί σφισι θυμὸς ἐύφρων.
αὐτῶν μὲν γὰρ κτήματ' ἀκήρατα κεῖτ' ἐνὶ Ϝοίκῳ,
533 *σῖτος καὶ μέθυ Ϝηδύ· τὰ μὲν Ϝοικῆες ἔδουσι·*
οἳ δ' εἰς ἡμέτερον πωλεύμενοι ἤματα πάντα
βοῦς ἱερεύοντες καὶ ὄις καὶ πίονας αἶγας
εἰλαπινάζουσιν κτἓ.

Haud vidi magis. Bona procorum intacta iacent neque imminuuntur et tamen eorum frumentum comedunt vinumque ebibunt servi quos domi reliquerunt? Addidit ut opinor versum 533 vir artis calculatoriae magistri similior quam poëtae, qui ferre non posset Penelopen parum accurate loqui ergoque sic eam corriperet: „de frumento tamen vinoque eorum dicere istud noli: nonne enim interea servi eorum, qui domi manserunt, esse ac bibere debebant?'' At eiecto panno quam apte haec cohaerent: „hilares isti esse possunt: ipsorum enim bona domi iacent intacta, sed quotidie huc veniunt meaque conviviis suis absumunt.''

561 sqq. Audito quid velit iubeatque Penelope haec Eumaeo respondet Ulysses:

Εὔμαι', αἶψά κ' ἐγὼ νημερτέα πάντ' ἐνέποιμι
κούρῃ Ϝικαρίοιο περίφρονι Πηνελοπείῃ·
Ϝοῖδα γὰρ εὖ περὶ κείνου, ὁμὴν δ' ἀνεδέγμεθ' ὀιζύν.
ἀλλὰ μνηστήρων χαλεπῶν ὑποδέδϜι' ὅμιλον, κτἓ.

Annotatis solo versu 563 apud poëtam *οἶδα* adsciscere praepositionem *περί*. Satis grave hoc, gravius tamen quod *ὁμὴν ἀνεδέγμεθ' ὀιζύν* et mire dictum est et rem continet plane diversam a narrationibus quibus hactenus ad Eumaeum usus est simulatus mendicus. Hoc vero gravissimum quod toto versu Ulyssis oratio ineptissime interrumpitur, cuius hoc esse debet

argumentum: „lubenter statim omnia Penelopae narrarem, nisi metum mihi incuteret ista procorum turba; satius ergo exspectabimus donec illi abierint.“ Utique ergo vs. 563 delendus est.

580 sqq. Solus ergo ad Penelopen redit Eumaeus rogatusque ab ea quidni hospitem secum adducat, quam prudens ille dederit consilium his narrat verbis:

μυθέεται κατὰ μοῖραν, ἅ πέρ κ' οἴοιτο καὶ ἄλλος,
ὕβριν ἀλυσκάζων ἀνδρῶν ὑπερηνορεόντων·
ἀλλά σε μεῖναι ἄνωγεν ἐς ἠέλιον καταδύντα.
καὶ δὲ σοὶ ὧδ' αὐτῇ πολὺ κάλλιον, ὦ βασίλεια,
584 *οἴην πρὸς ξεῖνον φάσθαι ϝέπος ἠδ' ἐπακοῦσαι.*

Quantocius abiiciendum ultimum versum (584) censeo. An vero non sola cum solo colloquium habuisset Penelope, si nunc statim eius initium factum esset? Postea (l. XIX) ipsa ad Ulyssem venit sed profectis demum procis: interdiu et praesentibus illis id nunquam facere ausa esset. Ergo quam primum interrogandi Ulyssem cupida primum eum ad se vocavit: ille vero venire noluit veritus ne a procis observaretur dum ad illam *διὰ τοῦ μεγάρου* ambularet.

LIBER XVIII.

47 et 65. Diligenter annotare soletis si qui versus vel totus vel pars eius alibi recurrit, atque magnopere illa re editionis vestrae utilitatem auxistis. Bis tamen in hoc libro eiusmodi annotationem omisistis ubi haud parvi fuisset momenti. Alter locus est ubi Antinous praemia proponit iam iam pugnaturis Iro atque Ulyssi his verbis (44 sqq.):

γαστέρες αἵδ' αἰγῶν κέατ' ἐν πυρὶ, τὰς ἐπὶ δόρπῳ
κατθέμεθα κνίσης τε καὶ αἵματος ἐμπλήσαντες.
ὁππότερος δέ κε νικήσῃ κρείσσων τε γένηται,
τάων ἥν κ' ἐθέλῃσιν ἀναστὰς αὐτὸς ἑλέσθω.

Ultimus autem versus haud dubie factus est ad imitationem eius qui in Iliade legitur I 146:

τρεῖς δέ μοί εἰσι θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ εὐ πηκτῷ,
Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ ϜιφιϜάνασσα·
τ ά ω ν ἥ ν κ' ἐ θ έ λ ῃ σ ι φίλην ἀνέϜεδνον ἀγέσθω.

Alter paulo post legitur: illic Telemachus Ulyssem confirmat metuentem ne quis procorum Iro opem sit laturus (61 sqq.):

ξεῖν', εἴ σ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
τοῦτον ἀλέξασθαι, τῶν δ' ἄλλων μή τιν' Ἀχαιῶν
δέδϜιθ'· ἐπεὶ πλεόνεσσι μαχέσσεται, ὅς κέ σε θείνῃ.
ξεινοδόκος μὲν ἐγὼν, ἐπὶ δ' αἰνέετον βασιλῆε
Ἀντίνοός τε καὶ Εὐρύμαχος, πεπνυμένω ἄμφω.

Cui hic non in mentem venit loci in Iliade Γ 146 sqq.:

οἱ δ' ἀμφὶ Πρίαμον καὶ Πάνθοον ἠδὲ Θυμοίτην
Λάμπον τε Κλυτίον θ' Ἱκετάονά τ', ὄζον Ἄρηος,
Οὐκαλέγων τε καὶ Ἀντήνωρ, πεπνυμένω ἄμφω,
ἥατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι.

Apparet autem ἐκ τῶνδε τῶν παραλλήλων χωρίων posteriores poëtas, etiam eos qui praestantissima fecerint ἐπύλλια, tamen operam semper dedisse ut quam accuratissime vetustiores poëtas imitarentur, illorum versus fideli tenuisse memoria, atque, si ita res ferret, illos vel integros vel fragmenta eorum ita aliis adiunxisse, ut quae verba olim magna cum gravitate scripta essent, in risum iocumque verterentur. Nonne enim parodiam facere videtur, qui versum olim de senibus Troianorum grandaevis, ingens illud bellum spectantibus, adhibitum detorquet ad nominandos iudices in ludicro illo duorum mendicorum certamine? Hoc tamen cachinnis excitandis aptius etiam quod isicium maximum pinguissimumque proeliaturis illis tamquam praemium proponit Antinous eiusmodi verbis usus, ut lector non possit quin statim cogitet de magno rege Agamemnone bellatorum optimo Achilli uxorem offerente filiarum suarum, quae maxime placuerit, si ad bellum redire voluerit.

95 sqq. In ipso autem certamine

ὃ μὲν ἤλασε δεξιὸν ὦμον
Fῖρος, ὃ δ' αὐχέν' ἔλασσεν ὑπ' οὔατος, ὀστέα δ' εἴσω
ἔθλασεν· αὐτίκα δ' ἦλθεν ἀνὰ στόμα φοίνιον αἷμα,
κὰδ δ' ἔπεσ' ἐν κονίῃσι μακὼν, σὺν δ' ἤλασ' ὀδόντας.

Hic quid ultimum istud σὺν δ' ἤλασ' ὀδόντας significet iuxta cum ignarissimis ignoro, cum praesertim de eo dicatur qui victus iaceat humi. Nemo enim contendet illis verbis eum dentium significari crepitum qui aegrorum metuentium algentium esse soleat.

158 sqq.

τῇ δ' ἄρ' ἐνὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
κούρῃ Ϝικαρίοιο περίφρονι Πηνελοπείῃ.
μνηστήρεσσι φανῆμεν, ὅπως πετάσειε μάλιστα
θυμὸν μνηστήρων ἰδὲ τιμήεσσα γένοιτο
μᾶλλον πρὸς πόσιός τε καὶ υἱέος. ἢ πάρος ἦεν.

Cum de aliquo homine irato agitur, nulla est frequentior imago quam illa coeli atris nubibus obsiti: in fronte enim ira conspicua est, de cuius rugis eadem adhiberi solent verba quae de nubibus in usu sunt: contrahuntur, deinde dispelluntur. Quapropter videndum an non vs. 160 pro πετάσειε legendum sit σκεδάσειε. Nostri autem est arbitrii eligere utrum velimus nam, quod ad ductus literarum pertinet, nihil fere interest inter ὅπως πετάσειε et ὅπως σκεδάσειε.

221 sqq. Paulo post illud mendicorum proelium in virorum conclave venit Penelope et Telemachum his reprehendit verbis:

οἷον δὴ τόδε Ϝέργον ἐνὶ μεγάροισιν ἐτύχθη,
ὃς τὸν ξεῖνον ἔασας ἀϜεικισθήμεναι οὕτω.
πῶς νῦν, εἴ τι ξεῖνος ἐν ἡμετέροισι δόμοισι
ἥμενος ὧδε πάθοι ῥυστακτύος ἐξ ἀλεγεινῆς;
σοί κ' αἶσχος λώβη τε μετ' ἀνθρώποισι πέλοιτο.

Auditis, ut opinor, quam parum venusta, quam insulsa languidaque sit ista repetitio τὸν ξεῖνον . . . ξεῖνος. Nunc verborum sententiam consideremus. Potestne Ulysses dici male mulcatus esse (ἀϜεικισθήμεναι)? Immo vero „abit violatus vulnere nullo." An forte cogitat Penelope de illo scabello, quod ab Antinoo coniectum humero excepit Ulysses? Non opinor de illa re certiorem eam factam. At proelium illud tantum rumorem tantum clamorem risumque procorum excitavit ut minime mirum sit quaesivisse Penelopen quid ille tumultus sibi vellet. Atque re cognita nunc Telemachum vituperat... cur? Opinor quod omnino illud certamen fieri passus sit, in

quo periculum fuerit ne hospes ille senex occumberet plagamque acciperet letalem. Delendum ergo censeo versum

ὃς τὸν ξεῖνον ἔασας ἀϝεικισθήμεναι οὕτω.

Verba autem ῥυστακτύος ἐξ ἀλεγεινῆς aut ad ipsum certamen sunt referenda aut ad contumeliosam procorum libidinem, quae illud provocavit.

254 sq. De Ulysse haec sunt verba Penelopae:

εἰ κεῖνός γ' ἐλθὼν τὸν ἐμὸν βίον ἀμφιπολεύοι,
μεῖζόν κε κλέος εἴη ἐμόν κτἑ.

Emendandumne illud τὸν ἐμὸν βίον an retinendum ut vel ipse articuli usus recentiorem poëtam arguat?

271 sqq. Postquam in eadem ad procos oratione Penelope iussam se a marito discedente, cum filius ad adultam venisset aetatem, nubere cui vellet ipsa commemoravit, haec addit:

κεῖνος τῶς ἀγόρευε· τὰ δὴ νῦν πάντα τελεῖται.
νὺξ δ' ἔσται, ὅτε δὴ στυγερὸς γάμος ἀντιβολήσει
ὀλομένης ἐμέθεν, τῆς τε Ζεὺς ὄλβον ἀπέϝρα.

Mire dictum γάμος ἀντιβολήσει.

281 sqq. Tum procos vituperat, qui non ita ut oporteat suas petant nuptias: hunc enim esse morem in uxore petenda ut proci ad eam, quam ducere cupiant, ipsi afferant dona, non ut eius bona absumant. Sequitur:

ὥς 'φάτ'· ἐγήθησεν δὲ πολυτλὰς δῖος Ὀδυσσεύς,
οὕνεκα τῶν μὲν δῶρα παρείλκετο, 'θέλγε δὲ θυμὸν
μειλιχίοισι ϝεπέσσι· — νόος δέ ϝοι ἄλλ' ἐμενοίνα.

Ad vs. 283 annotatis: „ϝοι Ulixi (ut sit vertendum: at alia ipse procis intendebat)? Contextus tamen et locus parall. β 92 suadent ut ad Penelopen potius pronomen

referamus; sed uxorem procis fraudem struere unde efficere poterat Ulixes?" Ut opinor melius id etiam intelligebat ὁ πολύμητις quam nunc quivis lector. Etenim alludendo ad dona sibi danda laeta spe procos lactavit Penelope, ipsa tamen de ea re perficienda, quam mox futuram esse illi iam credebant, ne cogitabat quidem. Hoc esse callidae mulieris consilium statim perspicere debebat Ulysses: nam quin uxor sua in fide erga se perstaret permansuraque esset dubitare non poterat.

LIBER XIX.

24 sq. Cognito Telemachi consilio de patris armis in cubiculum transferendis primum laudat eum Euryclea, deinde rogat:

ἀλλ' ἄγε, τίς τοι ἔπειτα μετερχομένη φάος οἴσει;
δμῳὰς δ' οὐκ εἴας προβλωσκέμεν, αἵ κεν ἔφαινον.

Sic vos priore versu *μετερχομένη* pro *μετοιχομένη*. Ego neutrum intelligo. Nam Z 86, ad quem locum provocatis, tantummodo eundi sensu positum est. An nostro loco fere sequi significabit et pone aliquem ire? Quaero ergo ubinam potissimum lumine illo opus sit. Non *ἐν τῷ μεγάρῳ* quod facibus illustratur, sed primum in cubiculo, ubi arma sunt deponenda, deinde in via quae inter hoc et *τὸ μέγαρον* est. Ergo praeferri lumen oportet, quod et mox Minervam facere legimus:

πάροιθε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
χρύσεον λύχνον ἔχουσα φάος περικαλλὲς ἐποίει.

31 sq. Respondet Telemachus hospitis illud esse ministerium; quo audito Euryclea abit et, ut iussa est, ancillas in suo sibi conclavi concludit. Sequitur:

τὼ δ' ἄρ' ἀναΐξαντ' Ὀδυσεὺς καὶ φαίδιμος υἱὸς
ἐσφόρεον κόρυθάς τε καὶ ἀσπίδας ὀμφαλοέσσας.

Equidem hic ἐκφόρεον legere malim quam ἐσφόρεον. Postquam enim surrexerunt Ulysses filiusque hoc primum est ut ex conclavi, ubi hucusque sederant, arma auferant. Statim autem inde egressis Minerva apparet cum lumine.

44 sq. Translatis armis cubitum ire Telemachum iubet pater additque:

ἐγὼ δ' ὑπολείψομαι αὖθι
ὄφρα κ' ἔτι δμῳὰς καὶ μητέρα σὴν ἐρεθίζω.

Quamnam, obsecro, hic vim habet verbum ἐρεθίζω? Dixerit aliquis experiri velle Ulyssem quaenam ancillae in fide perstiterint et quae cum procis faciant. Atque hoc illo verbo utcunque significari potest. Sed alterum accedit obiectum μητέρα σήν: de huius autem fide non dubitat Ulysses. Absurdius autem sit illam simulque ancillas irritare velle.

60. Venit ergo Penelope et cum marito assidit:

ἦλθον δὲ δμῳαὶ λευκώλενοι ἐκ μεγάροιο

ἐκ μεγάροιο nimirum ex ipsarum conclavi, ubi dum arma transferebat Telemachus concluserat eas Euryclea (μεγάροισι vs. 16 et μεγάρων vs. 30 in plurali)

68. Dum ancillae mensas exonerant et conclave virorum purgant sordibus, sedentem illic etiam vident Ulyssem, quem maledictis corripiunt et sic facessere iubent:

ἀλλ' ἔξελθε θύραζε, τάλαν, καὶ δαιτὸς ὄνησο.

Estne verborum καὶ δαιτὸς ὄνησο hic sensus: „et, cum largis epulis sis fartus molli nunc fruere somno" an vitii aliquid latet?

81 sqq. Ira incensus Ulysses et alia procacibus ancillis respondet et se, qui nunc victum mendicari debeat, olim fuisse divitem multorumque dominum servorum. His hoc adiicit consilium:

τῷ νῦν μή ποτε καὶ σὺ, γύναι, ἀπὸ πᾶσαν ὀλέσσῃς
ἀγλαΐην, τῇ νῦν γε μετὰ δμῳῇσι κέκασσαι,

εἴ πώς τοι δέσποινα κοτεσσαμένη χαλεπήνῃ
ἢ Ὀδυσεὺς ἔλθῃ· ἔτι γὰρ καὶ Ϝελπίδος αἶσα.

Neque quid omnino haec admonitio sibi velit video, neque quomodo cum praecedente commemoratione divitiarum, quibus se olim abundasse Ulysses dicit, cohaereat.

162 sq. De dolo Ulyssi narrat Penelope quo invisas nuptias effugere sit conata; quo deprenso se iam resistere non posse parentibus filioque poscentibus ut alicui procorum nubat. Haec ubi commemoravit tristis mulier statim addit:

ἀλλὰ καὶ ὣς μοι Ϝειπὲ τεὸν γένος, ὁππόθεν ἐσσί·
οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης.

Obiter aspicienti mirus hic transitus videtur: „ego iam non possum vitare nuptias istas.... s e d t a m e n narra mihi unde sis et quo genere prognatus," quasi vero haec inter se certent. Sed re accuratius perpensa recte se omnia habere et venustissimum esse hunc locum apparebit. Colloquii initium fecerat Penelope ab usitata illa interrogatione (vs. 105):

τίς πόθεν ἔσσ' ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

Hic Ulysses, neque se indicare volens neque ficta narratione uxorem fallere, rogat eam ne se cogat dolorem refricare de sua vita narrando; quoque magis eam precibus suis reddat propitiam, ab eius incipit laudibus quibus apud omnes gentes illa floreat. Respondet Penelope se quidquid a natura habuerit boni iampridem amisisse: iis enim se conflictatam miseriis quibus animus corpusque frangantur. Quas ubi copiose enumeravit tum denique ea subiungit quae citavimus hoc fere sensu: „sed mittamus tristia illa et ad propositum redeamus."

165 sq. Hic Ulysses:

ὦ γύναι αἰδοίη Λαερτιάδα' Ὀδυσῆος,
οὐκέτ' ἀπολλήξεις τὸν ἐμὸν γόνον ἐξερέουσα;

Vertendus alter versus sic fere: „nunquamne ergo desines de genere meo rogare.“ Etenim ἔτι ἀπολλήξεις et ἔτι ἀπολλήξειν σέ φημι est: „veniet aliquando tempus illud quo tu desinas.“ Vide quae dicta sunt ad ζ 257. Molestum autem istud τόν aut removendum aut tamquam signum recentioris aetatis retinendum. Cf. vs. 196 τοῖς ἄλλοισ' ἑτάροις et ἅμ' αὐτῷ.

221 sqq. Cretensem ergo se Ulysses simulat, Ulyssem autem Troiam proficiscentem ventis olim Cretam ablatum a se domi receptum. Rogat autem Penelope, decipi nolens, ut sibi Ulyssem ipsum describat et vestitum comitesque. Hic simulatus mendicus:

ὦ γύναι, ἀργαλέον τόσσον χρόνον ἀμφὶς ἐόντα
ϝειπέμεν᾽· ἤδη γάρ ϝοι ἐϝεικοστὸν ϝέτος ἐστὶ,
ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβη καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθε πάτρης.

Codices haud pauci altero versu pro ϝοι habent μοι, quod etiamsi in nullo legeretur libro manuscripto, tamen hic erat legendum, quia ϝοι ab hoc loco alienum. Recte legeretur si hic, ut hoc utar exemplo, sermo esset de aliquo absentiae tempore Ulyssi fatis destinato et sic ratiocinaretur narrator: „iam vicesimus hic Ulyssi annus venit e quo Creta Troiam vela dedit: qui cum fatalis annus sit, mox hic aderit ille.“ [1]). At nunc commemorat, quae res s i b i obstet quominus Ulyssis habitum vultum cetera memoria teneat. „Mihi hic annus est vicesimus ex quo ille Creta abiit“ prorsus idem est ac: „iam viginti sunt anni ex quo ego eum vidi“.

350 sq. His verbis hospitem laudat Penelope:

---

[1]) Cf. ω 309 sqq. ubi in narratione Ulyssis ad patrem haec leguntur:

αὐτὰρ Ὀδυσσῆι τόδε δὴ πέμπτον ϝέτος ἐστί,
ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβη καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθε πάτρης.

i. e. „iam quintus hic annus ex quo Ulysses illinc abiit: qui cum nondum huc advenerit suspicari debeo miserum naufragio interiisse.“

ξεῖνε φίλ', οὐ γάρ πώ τις ἀνὴρ πεπνυμένος ὧδε
ξείνων τηλεδαπῶν φιλίων ἐμὸν ἵκετο δῶμα.

Hic diu dubius haesi. Affertis ω 268, sed illic rectissime sic legitur:

οὔ πώ τις βροτὸς ἄλλος
ξείνων τηλεδαπῶν φιλίων ἐμὸν ἵκετο δῶμα.

Quae sic vertenda: „ex hospitum procul habitantium numero nemo unquam mihi carior domum meam venit." Sed hic ἀνήρ praeter illum comparativum et aliud habet appositum πεπνυμένος, quae simul ferri non possunt, nisi aliquo inter se iungantur vinculo. Utique ergo recipiendam censeo lectionem φιλίων τ'. Credo enim hunc locum, cum ad imitationem illius ω 268 scriberetur, et viciniae adaptaretur, minus elegantem evasisse, sed tamen eum sensum, quo hic opus sit, elici posse: „nemo unquam peregrinorum tam prudens mihique carior (pro vel mihi carior) huc venit". Nam versionem vestram carior quam sunt peregrini probare non possum.

363 sqq. Dum hospitis pedes lavat Euryclea, his verbis in memoriam redit domini amissi:

ὤ μοι ἐγὼ σέο, τέκνον, ἀμήχανος· ἦ σε περὶ Ζεὺς
ἀνθρώπων ἤχθηρε θεοδϝέα θυμὸν ἔχοντα.
οὐ γάρ πώ τις τόσσα βροτῶν Διὶ τερπικεραύνῳ
πίονα μηρί' ἔκη' οὐδ' ἐξαίτους ἑκατόμβας,
ὅσσα σὺ τῷ ἐδίδους ἀρώμενος, ἧος ἵκοιο
γῆράς τε λιπαρὸν θρέψαιό τε φαίδιμον υἱόν.

Quis unquam vidit coniunctionem ἧος a verbo ἀρᾶσθαι pendentem?

532 sqq. In altero colloquio hospiti Penelope narrat se, quamdiu filius parvus esset, noluisse alicui procorum nubere domumque relinquere. Tum sic pergit:

νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας ἐστὶ καὶ ἥβης μέτρον ἱκάνει,
καὶ δή μ' ἀράεται πάλιν ἐλθέμεν' ἐκ μεγάροιο
κτήσιος ἀσχαλάων, τήν ϝοι κατέδουσιν Ἀχαιοί.

Mire dictum: „precatur me ut e conclavi meo redeam (ad patrem nimirum)." Aliam tamen interpretationem verba πάλιν ἐλθέμεν' non admittunt.

570 sqq. In eodem colloquio mox haec dicit Penelope:

ἄλλο δέ τοι ϝερέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι·
ἥδε δὴ ἠὼς εἶσι δυσώνυμος, ἥ μ' Ὀδυσῆος
ϝοίκου ἀποσχήσει· νῦν γὰρ καταθήσω ἄεθλον,
τοὺς πελέκυς, κτἑ.

Ferendumne illud ἀποσχήσει abstrahendi removendique sensu? Sed hoc tamen molestius quod nunc de illo certamine loquitur, tamquam de re diu iam destinata, cum tamen initio libri φ legimus hoc ei consilium tum primum Minervam menti indidisse. Sed faciamus illic Minervam dici non novam quandam rem Penelopae subiicere, sed Minervae monitu fieri ut Penelope nunc statim exsequatur quod diu iam meditata sit, tamen ne sic quidem omnis nostri loci difficultas removetur. Nunc enim ita loquitur Penelope, quasi τῆς τόξου θέσεως certus quidam dies fato fixus sit, qui cum venerit iam, intelligat illa simul nuptiarum adesse tempus. Sed contrarium verum est. Quare nuptias differre iam non possit fuse hospiti exposuit Penelope: nunc sibi hoc agendum esse addit ut sciat cui nubere debeat. Quapropter haud inepte aliquis hic legendum esse putet: νῦν οὖν καταθήσω ἄεθλον.

LIBER XX.

14 sq. ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βιβᾶσα
ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει μέμονέν τε μάχεσθαι.

Sicine dici potest ἄνδρ' ἀγνοιήσασα hoc sensu: „ignoto viro conspecto"? Quid ergo iam non licet? Et quam durum est quamque auribus ingratum istud βιβᾶσα ... ἄνδρ' ἀγνοιήσασα.

52 sq. Dum in lecto iacet Ulysses nec somnum capere potest, adstat ei Minerva seque ei in proelio cum procis adfuturam confirmat. Tum addit:

ἀλλ' ἑλέτω σε καὶ ὕπνος· ἀνίη καὶ τὸ φυλάσσειν
πάννυχον ἐγρήσσοντα, κακῶν δ' ὑποδύσεαι ἤδη.

Annotatis: „ὑποδύσεαι emerges, subduces te." Neque hanc fere huius esse verbi vim infitior. Sed: „at dormiendum quoque tibi est, mox e malis emerges" nescio quid habet absurdi: iungi hic duae res videntur inter quas nulla ratio intercedat. Exspecto fere: „nunc dormi, mox aderit tempus laboris". Vide quae de futuris post imperativos diximus ad α 124.

91 sqq. Dum dormit Ulysses lamentatur Penelope in somnio conspecto Ulysse secum cubante. Sequitur:

ὧς ἔφατ'· αὐτίκα δὲ χρυσόθρονος ἤλυθεν Ἠώς.
τῆς δ' ἄρα κλαιούσης ϝόπα σύνθετο δῖος Ὀδυσσεύς.

μερμήριξε δ' ἔπειτ', ἐδόκησε δέ ϝοι κατὰ θυμὸν
ἤδη γιγνώσκουσα παρεστάμεναι κεφαλῆφι.
χλαῖναν μὲν συνελὼν καὶ κώεα, τοῖσιν ἐνηῦδε,
ἐς μέγαρον κατέθηκεν ἐπὶ θρόνου, ἐκ δὲ βοείην
'θῆκε θύραζε φέρων, κτέ.

Versus 93 sq. inepte nugantis esse poëtae videntur. Versus vero 95—97 non video quomodo in pacem reducam cum hisce (1—3):

αὐτὰρ ὃ ἐν προδόμῳ ηὑνάζετο δῖος 'Οδυσσεύς·
κὰμ μὲν ἀδέψητον βοέην 'στόρεσ', αὐτὰρ ὕπερθε
κώεα πόλλ' οἴων, τοὺς ἱρεύεσκον Ἀχαιοί.

102 sqq. Precatur a diis Ulysses ut sibi et extra et intra aedes omen propitium mittatur:

ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε μητίετα Ζεύς·
αὐτίκα δ' ἐβρόντησεν ἀπ' αἰγλήεντος 'Ολύμπου.
φήμην δ' ἐκ ϝοίκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρὶς
πλησίον, ἔνθ' ἄρα ϝοι μύλαι ἥατο ποιμένι λαῶν,
τῇσι δυώδεκα πᾶσαι ἐπερρώοντο γυναῖκες.

Equidem semper sic putabam: *τὰ μὲν ἄψυχα ἢ κεῖται ἢ ἕστηκε, τὰ δ' ἔμψυχα προσέτι καὶ κάθηται*, sed nunc subito lego: „illic molae s e d e b a n t"? Aequone animo ferendum illud? Non opinor. Proponat modo sibi aliquis quot vult locos, ubi nunc aliqua res anima carens *κεῖσθαι* vel *ἑστάναι* dicitur, nullum tamen in tanto numero inveniet, ubi non absurdum sit verbum *καθῆσθαι* reponere; nam praeter hunc nullum inventum iri, ubi legatur iam, vix opus dicere. Sed et accedit nostro loco aliquid quod vix concoquam: *ϝοι... ποιμένι λαῶν* Quorsum ista emphasis? *ποιμένι λαῶν* sufficeret; nam hoc voluit poëta: „ibi stabant molae, quibus omne frumentum quod domino villae de suis redibat agris, molebatur. Ergo: *ἔνθ' ἄρα μύλαι ἦσαν ποιμένι λαῶν.* Nam *ἦσαν* legendum est aut aliud quoddam verbum eiusmodi, dummodo facessat istud *ἥατο.* Nihil nunc desideratur sed videndum quo vocabulo locus

vacuus apte possit impleri. Quid addi potest ita ut tamen sententia non corrumpatur? Nil nisi molarum numerus. Et quem illum fuisse putemus? Nisi ipsum unius syllabae spatium brevi syllaba praecedente id diceret, ex versu sequente:

τῇσι δυώδεκα πᾶσαι ἐπερρώοντο γυναῖκες

disceremus. Nulla autem mola eiusmodi esse potest, quin a binis hominibus egregie circumagatur. Legendum ergo:

πλησίον, ἔνθ' ἄρα Ϝὲξ μύλαι ἦσαν ποιμένι λαῶν

aut, id quod verisimilius videtur, olim scriptum fuit:

πλησίον, ἔνθ' ἄρα Ϝὲξ μύλαι ἕστασαν

et sequebatur fere ὀρχάμῳ ἀνδρῶν, sed irrepsit synonymon usitatius ποιμένι λαῶν, quod praecedenti verbo exitio fuit.

115 sqq. Non solus Ulysses faustum illud tonitru audit, sed etiam ancilla una quae ceteris dormientibus molendo etiam est, atque ita omen accipit ut procorum protendat perniciem propinquam. Precatur ergo Iovem:

κρήηνόν νυν ἐμοὶ δϜειλῇ Ϝέπος, ὅττι κε Ϝείπω·
μνηστῆρες πύματόν τε καὶ ὕστατον ἤματι τῷδε
ἐν μεγάροισ' Ὀδυσῆος ἑλοίατο δαῖτ' ἐρατεινήν,
οἳ δή μοι καμάτῳ θυμαλγέι γούνατ' ἔλυσαν
ἄλφιτα τευχούσῃ· νῦν ὕστατα δειπνήσειαν.

In margine ad ultimum versum notandus, ut opinor, fuerat *A* 232. Nam quamquam illic νῦν ὕστατα λωβήσαιο legitur, tamen tam similis est utriusque versus sonus ut dubium non sit quin huius loci poëta illo ex Iliade usus sit idque, ut fit, minus apte. Non enim primo mane sed cum maxime prandium capientibus procis eiusmodi aliquid imprecari oportebat. Cf. praeterea vs. 115 verbum κρήηνον et vide quae annotavimus ad σ 47 et 65.

194 sqq. Philoetius bubulcus viso Ulysse Eumaeum rogat quis et unde ille sit, additque:

δύσμορος· ἦ τε ϝέϝοικε δέμας βασιλῆι ϝάνακτι·
ἀλλὰ θεοὶ δυάουσι πολυπλάγκτους ἀνθρώπους,
ὁππότε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσωνται ὀιζύν.

Non concoquo ultimos versus duo. Quid enim est ὁππότε καί? An *quandoquidem et*? At regem esse peregrinum coniicit tantummodo bubulcus, non ergo inde tamquam e re certa argumentum petere potest ad aliud quid demonstrandum. Et peregrinum, quem nunc primum videt, *multum errasse* unde novit?

208 sqq. Salutato peregrino bubulcus in memoriam redit Ulyssis, quem sibi itidem pannis annisque obsitum fingit. Addit:

εἰ δ' ἤδη τέθνηκε καὶ ἐν Ἀϝίδαο δόμοισι,
ὤ μοι ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος, ὅς μ' ἐπὶ βουσὶ
εἶσ' ἔτι τυτθὸν ἐόντα Κεφαλλήνων ἐνὶ δήμῳ.
νῦν δ' αἳ μὲν γίγνονται ἀθέσφατοι, οὐδέ κεν ἄλλως
ἀνδρί γ' ὑποσταχύοιτο βοῶν γένος εὐρυμετώπων.

De significatione verbi ἄλλως (vs. 211) dubitatis. Totus locus pannuceae vesti similis est. Equidem certe cogitare hic cogor de θ 176 sq.:

ὡς καὶ σοὶ ϝεῖδος μὲν ἀριπρεπές, οὐδέ κεν ἄλλως
οὐδὲ θεὸς τεύξειε.

304 sqq. Ctesippus pedem bovis in Ulyssem coniicit, quem ille levi capitis inclinatione evitat. At viderat illam contumeliam Telemachus, qui sic in hominem ferocem invehitur:

Κτήσιππ', ἦ μάλα τοι τόδε κέρδιον ἔπλετο θυμῷ·
οὐκ ἔβαλες τὸν ξεῖνον· ἀλεύατο γὰρ βέλος αὐτός.
ἦ γάρ κέν σε μέσον 'βάλον ἔγχεϊ ὀξυόεντι.

Cetera omnia egregia sunt, sed primo versu, cum hic requiratur sensus: „bene tecum actum est; fortuna usus es propitia", ferri nullo modo potest ultimum vocabulum θυμῷ. Quid reponam nescio, exitum versus corruptum esse mihi constat

cum praesertim perspicuum sit, quid ei nocuerit. Praecedit enim:

Κτήσιππον δ' ἄρα Τηλέμαχος ἠνίπαπε μύθῳ

ergo e supra posito *μύθῳ* nasci istud *θυμῷ* potuit.

339 sqq. Iure a Telemacho reprehensum Ctesippum declarat Agelaus procorum unus, sed addit iam praeteriisse cunctandi differendique tempus; non enim sperari etiam posse Ulyssis reditum. Monet ergo Telemachum ut matrem iubeat quam primum uni procorum nubere. Huic sic respondet Telemachus:

οὐ μὰ Ζῆν', Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμοῖο,
ὅς που τῆλ' Ἰθάκης ἢ ἔφθιται ἢ ἀλάληται,
οὔ τι διατρίβω μητρὸς γάμον, ἀλλὰ κελεύω
γήμασθ' ᾧ κ' ἐθέλῃ, κτέ.

Quis unquam iuravit per dolores alicuius, praesertim eius quem putent omnes iam supremum obiisse diem? Imperitone poëtae istud *ἄλγεα πατρὸς ἐμοῖο* debetur an inepto librario?

373 sq. Theoclymenus vates prodigia videt instantem perniciem significantia; procos vero, quorum mentes perturbavit Minerva, ea latent. Ergo ab illis propter vaticinium derisus abire properat, manere se nolle dicens in aedibus, quibus caedes immineant. Sequitur:

μνηστῆρες δ' ἄρα πάντες ἐς ἀλλήλους ὁρόωντες
Τηλέμαχον ἐρέθιζον, ἐπὶ ξείνῳ γελάοντες.

Ad alterum versum annotatis: „*ξείνῳ* F, *ξείνοις* plerique vitiose; quapropter *ξείνοισι γελῶντες* proposuit Nauckius. Pluralem peperisse videtur versus spurius 382:

τοὺς ξείνους ἐν νηὶ πολυκλήιδι βαλόντες

quem si quis servare velit legere possit:

Τηλέμαχον γελάοντες ἐπὶ ξείνοισ' ἐρέθιζον,

ita ut *ἐπὶ ξείνοισι* iungatur cum verbo *ἐρεθίζειν*." [1]). Equidem

---

[1]) Recte hic *ἐρεθίζειν* vexandi mordendique sensu adhibetur. Vide nunc quae ad vs. 44 sq. L. XIX annotavimus.

sic censeo, aut nostro versu utique retinendum pluralem substantivi ξεῖνος (et utrum recentior forma ξείνοις an antiquior ξείνοισι legatur parum hic curo) aut efficiendum ut toto hoc loco de uno tantum hospite rideant proci. Nam nunc lectio vestra ἐπὶ ξείνῳ γελάοντες certat cum sequentibus. Cum enim vs. 380 legatur:

ἄλλος δ᾽ αὖτέ τις οὗτος ἀνέστη μαντεύεσθαι

dubium non est, quin ab homine ibi commemorato diversus sit is, ad quem pertinet vs. 377:

οἷον μέν τινα τοῦτον ἔχεις ἐπίμαστον ἀλήτην.

Et revera omnino hic de uno tantum hospite olim sermonem fuisse documento est vs. 383 singularis ἄλφοι, qui in pluralem mutari non potest quin inepte vis fiat grammaticae.

LIBER XXI.

42 ἡ δ' ὅτε δὴ θάλαμον τὸν ἀφίκετο δῖα γυναικῶν quoniam non sequitur sententia relativa, sanum esse istud θάλαμον τόν non potest.

134 sq. Frustra conatus arcum paternum tendere Telemachus primum de sua lamentatur imbecillitate, deinde haec addit:

ἀλλ' ἄγεθ', οἵ περ ἐμεῖο βίῃ προφερέστεροί ἐστε,
τόξου πειρήσασθε, καὶ ἐκτελέωμεν ἄεθλον.

Qui modo labori alicui imparem se esse expertus est atque ergo aliis eum permittit, dicere iam non potest: „illum laborem perficiamus". Praeterea parum eleganter hic πειρήσασθε (in imperativo) et ἐκτελέωμεν (in prima pers. coniunctivi) iuncta videntur. Quapropter equidem sic legerim:

τόξου πειρήσασθε, ἵν' ἐκτελέωμεν ἄεθλον

„ut tandem aliquando ad finem istius certaminis perveniamus: nam equidem ad finem perducere rem nunquam potero."

136 sq. Sequitur:

ὣς Ϝειπὼν τόξον μὲν ἀπὸ Ϝέο 'θῆκε χαμᾶζε
κλίνας κολλητῇσιν ἐϋ ξεστῇσι σανίσσι.

Non concoquo duo ista unius substantivi apposita nullo inter se iuncta vinculo. Idem recurrit vs. 164.

153 sq. Neque intelligo quo sensu hic et 170 sq. de arcu dicatur ἀριστῆας κεκαδήσει θυμοῦ καὶ ψυχῆς. An hoc „reges ille frustra defetigabit"? At quomodo istud inde eliciamus?

186 sq. Calefaciunt arcum et perfricant adipe proci, sed ne sic quidem tendere eum possunt:

Ἀντίνοος δ' ἔτ' ἐπεῖχε καὶ Εὐρύμαχος θεοϝειδής,
ἀρχοὶ μνηστήρων· ἀρετῇ δ' ἔσαν ἔξοχ' ἄριστοι.

Annotatis: „δ' ἔτ' U^2, δέ τε codd. plerique ut hic sit sensus: at retinebat eos Antinous. Sed poëta dicere voluit: Antinous vero et Eurymachus nondum victos se fatebantur (hielden nog vol)." At ἐπέχειν non esse perseverare vel notus ille imperativus ἐπίσχες docet. Quare videndum an non potius haec sit sententia: „Antinous et Eurymachus manebant etiam, a se impetrare nondum poterant ut de conatu desisterent. Ceteri vero iam desponderant animum, totoque omisso certamine assederant."

217 sq. Eumaeo atque bubulco egregia promittit dona Ulysses, si sibi in proelio cum procis fidelem navaverint operam. Tum sic pergit:

εἰ δ' ἄγε δὴ καὶ σῆμα ἀριφραδὲς ἄλλο τι δείξω,
ὄφρα μ' ἐὺ γνῶτον πιστωθῆτόν τ' ἐνὶ θυμῷ.

Hic pro εἰ δέ legitis εἶτ': recte, ut opinor. Atque aeque illam lectionem probo δ 832 ubi Penelope imaginem sororis sibi a Minerva per somnum missam sic alloqui incipit:

εἰ μὲν δὴ θεός ἐσσι θεοῖό τε ἔκλυες αὐδήν,
εἶτ' ἄγε μοι καὶ κεῖνον ὀιζυρὸν κατάλεξον.

Plane ibi absurdum foret εἰ δ'. Idem dici potest de χ 391. His verbis filium appellat Ulysses:

Τηλέμαχ', εἶτ' ἄγε μοι κάλεσον τροφὸν Εὐρύκλειαν.

Quamvis enim multi codices hic εἰ δ' habeant, tamen unice verum est εἶτ' quod in nullo legi videtur. Sed non omnium

locorum, ubi *εἰ δ'* est in codicibus, eadem est ratio. Sic eo, ad quem in annotatione lectorem relegatis, equidem mutare nihil ausim. Est A 302. Briseidem se traditurum Achilles, quoniam ita opus sit, declarat, neque se vi illam retenturum. Sed addit:

τῶν δ' ἄλλων ἅ μοί ἐστι θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ
τῶν οὐ κέν τι φέροις ἀνελὼν ἀϜέκοντος ἐμεῖο.

Tum, voce, ut opinor, vultuque minaci:

εἰ δ' ἄγε μὴν πείρησαι, ἵνα γνώωσι καὶ οἵδε·
αἶψά τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί.

Nihil hic Agamemnonem iubet Achilles, neque eum ad aliquid faciendum adhortatur; sed provocat eum; provocantium autem sunt sententiae conditionales, velut notum illud Aristophanicum *αἶρε πλῆκτρον εἰ μαχεῖ.* Quique gravi ira sunt commoti plerumque sua ipsi verba interrumpunt. Eiusmodi autem ellipsis Achilli aptissima nunc hic legitur: *εἰ δέ* pro *εἰ δὲ βούλει* vel *εἰ δὲ μὴ πείθει τῷ ἐμῷ λόγῳ.* Contra *εἶ' ἄγε μὴν πείρησαι* eius esse videtur potius, qui iram iam missam fecerit, atque eum, cui modo minatus sit, blande alloqui et admonere incipiat.

245. Post colloquium extra aedes habitum cum Eumaeo atque bubulco, ubi se agnoscendum dedit illis, Ulysses rursus intrat et pristina sede assidit: sequuntur eum Eumaeus atque bubulcus. Tum legimus:

Εὐρύμαχος δ' ἤδη τόξον μετὰ χερσὶν ἐνώμα.

Quam verum sit quod ad versum 186 de verbo *ἐπέχειν* annotavi, ex uno hoc versu apparet. Si enim illic narratum esset: „Antinous et Eurymachus in conatu perseverabant", hic unusquisque exspectaret „Eurymachus e t i a m arcum manibus versabat", et absurdum foret „i a m ... versabat" de eo qui nunquam desiit. Nunc cum illic legerimus: „Antinous et Eurymachus nondum omiserant conatum, sed manebant etiam", minime miramur hic legentes: „iamque (denuo post

brevem quietem) Eurymachus manu versabat arcum." De significatione autem vocabulorum ἤδη...ἐνώμα ne levissima quidem esse potest dubitatio: recurrunt enim vs. 393: Philoetius, qui ad ianuas claudendas exierat, redit atque suo assidit loco oculis in Ulyssem conversis; sequitur: ὁ δ' ἤδη τόξον ἐνώμα.

257 sqq. Eurymachum tristem quod arcum tendere non possit metuentemque hominum rumores sic alloquitur Antinous:

Εὐρύμαχ', οὐχ οὕτως ἔσται· νοέεις δὲ καὶ αὐτός.
νῦν μὲν γὰρ κατὰ δῆμον ἑορτὴ τοῖο θεοῖο
ἁγνή. τίς δέ κε τόξα τιταίνοιτ'; ἀλλὰ Ϝέκηλοι
κάτθετ'. ἀτὰρ πελέκυς γε καὶ εἴ κ' ἐάωμεν ἅπαντας
ἑστάμεν' οὐ μὲν γάρ τιν' ἀναιρήσεσθαι ὀίω
ἐλθόντ' ἐς μέγαρον Λαερτιάδα' Ὀδυσῆος.

Huius admonitionis quae sit ratio non plane perspicio: auctor est Antinous ut, cum dies festus sit, gravis iste arcus tendendi labor mittatur iam: hoc intelligo. Sed quid οὐχ οὕτως ἔσται? Dixerat enim Eurymachus: „turpis de nobis fabula erit apud posteros." Quo iure ei Antinous respondet: „non ita res se habebit; vel tu hoc intelligere debes"? An quia sunt feriae dei? Quid his cum hominum rumoribus? Recte his verbis Eurymachus reprehenderetur si sic comites allocutus esset: „agitedum, vos, qui hactenus otiosi desedistis, surgite et instaurate certamen, cui mox ego quoque et Antinous accedemus: gravissimi enim labores subeundi potius quam hanc in nos admittamus infamiam". Hic ergo haereo, neque quomodo me extricem habeo. Versu 260 hanc proponitis lectionem:

ἀτὰρ πελέκυς γε ἐάσομεν ἐνθάδ' ἅπαντας

qua certe legitime structura et huius et sequentis sententiae restituitur: nam quae nunc leguntur

ἀτὰρ πελέκυς γε καὶ ϝί κ' ἐάωμεν ἅπαντας
ἑστάμεν', οὐ μὲν γάρ τιν' ἀναιρήσεσθαι ὀίω

balbutientis sunt, non loquentis. Male tamen me istud *ἅπαντας* habet: secures aut tolluntur recondunturque aut suo loco relinquuntur; sed sive hoc fit sive illud, omnibus fit securibus: de parte aliqua tollenda et parte relinquenda cogitare potest nemo.

288 sqq. Se velle periculum facere Ulysses si forte arcum tendere possit ubi dixit, his verbis simulati mendici arrogan tiam notat Antinous:

ἆ δϝειλὲ ξείνων, ἔνι τοι φρένες οὐδ᾽ ἠ̃ βαιαί.
οὐκ ἀγαπᾷς ὃ ϝέκηλος ὑπερφιάλοισι μεθ᾽ ἡ̃μιν
δαίνυσαι οὐδέ τι δαιτὸς ἀμέρδεαι, αὐτὰρ ἀκούεις
μύθων ἡμετέρων καὶ ῥήσιος; οὐδέ τις ἄλλος
ἡμετέρων μύθων ξεῖνος καὶ πτωχὸς ἀκούει.

Inepte vs. 289 dictum videtur *ὑπερφιάλοισι μεθ᾽ ἡμῖν*, sed hoc mitto. Gravi vero morbo laborare versum 291 vobiscum censeo. Non enim, quod vos quoque in annotatione dicitis, ferri potest *καὶ ῥήσιος* post *μύθων*, cum praesertim illa vox *ῥῆσις* nusquam alibi legatur. Quod autem rogatis: „latetne nominativus aliquis in *καὶ ῥήσιος*?" respondere velim multo mihi verisimilius videri aliam ibi vocem latere, quae nunc cum magno sententiae detrimento desideretur. Nonne enim absurde rogat Antinous: „satisne tibi non est, quod nobiscum sedes cenasque et sermones nostros audis, neque quisquam alius hospes mendicusve eos audit"? Nonne beneficia sua alii imputantis est dicere: „quod tibi nunc do (permitto) n u n q u a m a n t e a cuiquam dedi (permisi)"? Deest ergo adverbium *πάρος*, quod si apta huic versui e-mendatione restitutum erit, eleganter suum sibi verbum in praesenti (*ἀκούει*) habebit adiunctum.

303 sq. Ebrium Ulyssem, qui eiusmodi aliquid rogare audeat, Antinous dicit, et quae mala afferre soleat nimium vinum narrat afferendo exemplo Centauri Eurytionis, qui apud Pirithoum

cum genio indulsisset, tantas turbas fecerit ut importunitatem eius Lapithae gravi poena plectendam rati aures nasumque ei abscinderent, deinde ipsum fato suo relinquerent. Sequitur:

ἐξ οὗ κενταύροισι καὶ ἀνδράσι νεῖκος ἐτύχθη,
ϝοί τ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν ηὕρετο ϝοινοβαρείων.

Haec inter se et cum praecedentibus ut bene cohaereant, altero versu pro τ' utique recipienda lectio aliquot codicum δ': „hinc ortum illud inter Centauros Lapithasque bellum: sed sibi primo Eurytion malorum auctor exstitit.

305 sq. Sic pergit Antinous:

ὣς καὶ σοὶ μέγα πῆμα πιφαύσκομαι, αἴ κε τὸ τόξον | ἐντανύσῃς.

Ecquid αἴ κε σὺ τόξον? Molestus enim articulus ille.

314 sq. Reprehendit Antinoum quod tam contumeliose in hospitem invehatur Penelope, deinde his verbis intempestivam eius ridet iracundiam:

ϝέλπεαι, αἴ χ' ὁ ξεῖνος Ὀδυσσῆος μέγα τόξον
ἐντανύσῃ χερσίν τε βίηφί τε ϝῆφι πιθήσας,
ϝοίκαδέ μ' ἄξεσθαι καὶ ἑϝὴν θήσεσθαι ἄκοιτιν;

Nonne aliquo modo efficiendum ut infinitivi ἄξεσθαι et θήσεσθαι suum sibi habeant subiectum? Nam quod nunc legitur ϝέλπεαι ... ϝοίκαδέ μ' ἄξεσθαι nihil aliud significare potest quam: „putasne te me domum esse ducturum?" Fortasse pro ϝοίκαδε legendum αὐτόν, cum praesertim praestet de mendico errabundo loquentem domum eius non commemorare.

362 sq. Iam affert Eumaeus arcum Ulyssi, sed increpant eum proci his verbis:

πῇ δὴ καμπύλα τόξα φέρεις, ἀμέγαρτε συβῶτα,
πλαγκτέ; τάχ' αὖ σ' ἐφ' ὕεσσι κύνες ταχέες κατέδονται.

Itane vero? „Fortasse iterum te canes devorabunt." Et videte quam sit ingratum istud τάχ' ... ταχέες. Brevissimo autem

interiecto spatio (vs. 369) iterum *τάχα* recurrit, sed ibi elegantissime positum est: iam territus procorum minis pedem refert Eumaeus, sed pergere eum sic Telemachus iubet:

ἄττα, πρόσω φέρε τόξα· τάχ' οὐκ ἐὺ πᾶσι πιθήσεις.

Lepidissime enim ironia illa adhibetur ab eo qui cum magna loquitur fiducia. Denique ne hoc quidem negligendum istud *πλαγκτέ* parum aptum esse convitium homini assiduo. Licet enim negare nolim eam vocem sic adhiberi posse ut „amens" significet, multo tamen prius illam legentes de e r r a b u n d o cogitamus. Suspicor sic fere olim scriptum fuisse:

ἦ μάλα δή σ' ἐφ' ὕεσσι κύνες ταχέες κατέδονται

et inserta ista *πλαγκτέ* et *αὖ* cum aliquo casu versus mutilus esset factus.

424 sqq. Ulysses sic gloriatur:

Τηλέμαχ', οὔ σ' ὃ ξεῖνος ἐνὶ μεγάροισιν ἐλέγχει
ἥμενος, οὐδέ τι τοῦ σκοποῦ ἤμβροτον οὐδέ τι τόξον.
δϜὴν ἔκαμον τανύων.

Ecquid: *οὐ γάρ τι σκοποῦ ἤμβροτον*? Nimis enim languidum istud *τοῦ σκοποῦ*. neque admodum elegans duplex *οὐδέ*. Primo versu *σε ξεῖνος* legere possimus, sed illa correctione fortasse opus non est, quia illic suam sibi emphasin habet *ὅ*.

LIBER XXII.

6 sq. Hisce ad procos utitur minis Ulysses:

νῦν αὖτε σκοπὸν ἄλλον, ὃν οὔ πώ τις 'βάλεν ἀνήρ,
Ϝείσομαι αἴ κε τύχωμι, πόρῃ δέ μοι εὖχος Ἀπόλλων.

Merito lectionem *Ϝίσομαι* (i. e. *ἐπιπορεύσομαι* ut Eustathii utar verbo) reiecistis. Sed neque *Ϝείσομαι* probari vobis significatis annotando: „si verbi *Ϝειδέναι* est futurum, vertatur nunc sciam (experiar) aliumne scopum tangere possim. Neutrum tamen verbum satis huc quadrat, quapropter corruptum locum esse suspicamur." Revera autem corruptum esse non potuit melius demonstrari, quam versione illa, quam proponitis. Quis enim istam probet verborum structuram *σκοπὸν . . . Ϝείσομαι αἴ κε τύχωμι*? Latina ea est, non Graeca. Opus autem est hic verbo, cuius obiectum esse possit *σκοπόν*: tum demum bene decurret sententia. Legendum censeo *στήσομαι*: „alium mihi scopum proponam, an forte tangere possim". De ipso verbo cf. τ 139: *στησαμένη μέγαν ἱστόν*; sibi telam posuit. Si quis autem dicit: *στήσομαι σκοπόν*, non ita eius verba accipienda sunt, ut eum putemus manibus aliquid allaturum et manibus alicubi fixurum; sic enim et ille loqui potest qui menti suae aliquid est propositurus.

17 sqq. Antinous vulnus letale accipit sagitta ab Ulysse missa:

ἐκλίνθη δ' ἑτέρωσε, δέπας δέ Ϝοι ἔκπεσε χειρὸς
βλημένου, αὐτίκα δ' αὐλὸς ἀνὰ ῥῖνας παχὺς ἦλθε
αἵματος ἀνδρομέοιο· θοῶς δ' ἀπὸ Ϝεῖο τράπεζαν
ὦσε ποδὶ πλήξας.

Lubenter credo non bubulum sed humanum sanguinem e naribus Antinoi exsiluisse. Sed bonum poëtam sic scribere potuisse non credo. Manifesto tenemus ineptum imitatorem, qui nihil cogitans illud vocabulum transtulerit ex ι 373 sq.:

φάρυγος δ' ἐξ ἔσσυτο Ϝοῖνος
ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι.

Hoc quoque ineptum quod ad implendum versum *θοῶς* additur: quasi vero certo consilio et de industria mensam everterit Antinous.

23. Comitem suum ubi occisum vident proci vehementer perturbantur:

ἐκ δὲ θρόνων ἀνόρουσαν ὀρινθέντες κατὰ δῶμα.

Quis est verborum *ὀρινθέντες κατὰ δῶμα* sensus? An vitio nata sunt? Suspicor hoc propter praecedentem versum:

μνηστῆρες κατὰ δῶμα, ἐπεὶ 'Ϝίδον ἄνδρα πεσόντα.

55 sqq. Iure caesum Antinoum agnoscit Eurymachus, illius enim exemplo ceteros procos omnes illas iniurias Ulyssis domi perpetrasse; sed nunc illarum auctore profligato parcendum esse ceteris Ulyssem monet additque:

ἧμες ὄπισθεν ἀρεσσάμενοι κατὰ δῆμον,
ὅσσα τοι ἐκπέποται καὶ ἐδήδεται ἐν μεγάροισι,
τιμὴν ἀμφὶς ἄγοντες ἐϜεικοσίβοια Ϝέκαστος,
χαλκόν τε χρυσόν τ' ἀποδώσομεν, εἰς ὅ κε σὸν κῆρ
ἰανθῇ.

Omnia haec, licet satis molesta sit verbositas, tamen ferri intelligique possunt: unum istud *ἀρεσσάμενοι κατὰ δῆμον* quid

sibi velit vel quomodo recte hic poni potuerit non video. In verbo enim est notio satisfaciendi vel damni illati compensandi vel restituendi quod ademeris. Sed id qui κατὰ δῆμον fieri potest? Hoc enim est per totum populum poniturque de ea re ad quam perficiendam singuli cives sint adeundi. Qui autem ingentem debent pecuniam, ad illam persolvendam quid facere κατὰ δῆμον solent vel cum aliqua bona spe possunt? Ut opinor circumcursant familiam, amicos, notos, ignotos, denique totum populum ad illam corradendam, haud dissimiles mendicorum qui stipem colligunt. Ergone ἀγειράμενοι κατὰ δῆμον scribendum? Sic certe κατὰ δῆμον apto verbo adhaerebit, recteque illud in praeterito tempore erit positum, nam ut solvere possit aliquis praecedere debet nummorum collectio. Contra satisfactionis et compensationis tantummodo mentio fieri potest tamquam rei, quae data acceptaque pecunia futura sit, neque, id quod iam dictum est, ulla unquam satisfactio κατὰ δῆμον fit. Facile tamen verbum ἀρέσσασθαι huc potuit irrepere, quoniam in uno verbo ἀρεσσόμεθα tamquam in compendio, inest tota Eurymachi oratio. Participium autem ἀγειράμενοι non legitur alibi, sed ν 14 legitur prorsus eo sensu, quo hic opus est, additoque eodem illo κατὰ δῆμον:

ἀλλ' ἄγε ϝοι δῶμεν τρίποδα μέγαν ἠδὲ λέβητα
ἀνδρακάς· ἧμες δ' αὖτε ἀγειρόμενοι κατὰ δῆμον
τισόμεθ'.

Participium aoristi activi et alibi exstat et τ 197:

δημόθεν ἄλφιτ' ἔδωκα καὶ αἴθοπα ϝοῖνον ἀγείρας.

81 sq. Stricto gladio in Ulyssum incurrit Eurymachus:

ὃ δ' ὁμαρτῇ δῖος Ὀδυσσεὺς
ἰὸν ἀποπροϊεὶς 'βάλε δὲ στῆθος παρὰ μαζόν.

Sic vulgo, vitiossime; praestat duorum codicum lectio ἀποπροΐει, quia particula δέ postulat praecedens verbum finitum,

sed vera tamen non esse videtur. Vos: ἰὸν ἀποπροϊεὶς 'βάλε Ϝε στ. π. μ Sic restituitur usitatissima structura, qua feriendi vulnerandique verba duplicem habent accusativum alterum hominis qui feritur, alterum eius corporis partis qua feritur. Sed hoc loco ipsa illa structura nescio quid habet duri. Sequitur enim:

ἐν δέ Ϝοι ἧπατ' ἔπηξε θοὸν βέλος.

Ergo alio modo versum equidem emendaverim. Ecquid

ἰὸν ἀποπροϊεὶς ἔβαλε στῆθος παρὰ μαζόν.

94. Dum Amphinomus impetu in Ulyssem facto a foribus eum repellere conatur, in tergum eius tanta vi Telemachus hastam coniicit ut per pectus illa exeat. Tum:

'δούπησεν δὲ πεσών, χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ.

Recurrit altera versus pars vs. 296:

ἤριπε δὲ πρηνής, χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ.

Mire tamen dictum istud παντὶ μετώπῳ. Quod quomodo accipiamus? An sic fere: „haud aliter cecidit homo quam arbor lignumque: cum enim puncto temporis omnis ei adempta esset vita, ut steterat ita concidit, corpore neque collapso neque inclinato"? At sic qui cadunt toto corpore humum feriunt et „toto vultu" potius quam „tota fronte". Sed verisimile est ipsum poëtam non anxie expendisse vocabulorum quibus uteretur vim, unice de versu implendo sollicitum.

95 sqq. Statim sequitur:

Τηλέμαχος δ' ἀπόρουσε λιπὼν δολιχόσκιον ἔγχος
αὐτόθ' ἐν Ἀμφινόμῳ· περὶ γὰρ 'δϜίε μή τις Ἀχαιῶν
ἔγχος ἀνελκόμενον δολιχόσκιον ἢ ἐλάσειε
φασγάνῳ ἀΐξας ἠὲ προπρηνέα τύψας.

Ad ἢ vs. 97 annotatis: „ἤ Ϝ' v. Herwerden, loco minus apto pronomen inserens. Nobis ipsum ἢ suspectum est; tentavimus αὐτὸν ἐλάσσαι." Et merito vobis suspecta est ista par-

ticula, neque quidquam huic loco aptius quam pronomen αὐτόν quod vos inseritis: „victor metuit ne, dum telum ex corpore occisi hostis extrahat, ipse occidatur." Remota nunc est oppositio, quae olim ineptissime inter versus 97 et 98 instituebatur, et ad unum versum 98 redacta. Sed ne illic quidem ferri potest. ἀίξας ἠὲ ... τύψας. Contrariaene inter se hae res sunt? Immo tam cognatae ut altera sine altera esse nequeat. Quomodo enim cominus feriat aliquis qui nunc procul stat nisi prius accurrat? Quapropter proponerem:

φασγάνῳ ἀΐξας ἠδὲ προπρηνέα τύψας

nisi inepta videretur tautologia ἐλάσειε τύψας.

101 sqq. Eiusmodi ergo periculum ne sibi et posthac sit metuendum, ad patrem currit Telemachus eumque sic alloquitur:

ὦ πάτερ, ἤδη τοι σάκος οἴσω καὶ δύο δοῦρε
καὶ κυνέην πάγχαλκον ἐπὶ κροτάφοισ' ἀραρυῖαν,
αὐτός τ' ἀμφιβαλεῦμαι ἰὼν, δώσω δὲ συβώτῃ
καὶ τῷ βουκόλῳ ἄλλα· τετευχῆσθαι γὰρ ἄμεινον.

Ergone in ipsa via (ἰών) arma induet Telemachus? Credibile hoc in tanta festinatione. At aliud quid fieri videmus: eodem enim quo ceteri tempore illud facit, nempe reversus ad patrem (vs. 112 sq.). Corruptum ergo versum censeo atque sic corrigendum:

αὐτός τ' ἀμφιβαλεῦμαι ἐγὼ, δώσω δὲ συβώτῃ.

Apta enim huic loco gravior emphasis. Parum eleganter nunc post δώσω δὲ συβώτῃ statim legitur καὶ τῷ βουκόλῳ ἄλλα. Reditque novicius ille articulus vs. 114:

ὣς δ' αὔτως τὼ δμῶ' ἐδυέσθην τεύχεα καλά.

Retinenda ista aetatis censeo indicia, dummodo suo aestimentur pretio.

116 sqq. Stant ergo omnes armati dextra laevaque Ulyssis:

αὐτὰρ ὅ γ', ὄφρα μὲν αὐτῷ ἀμύνεσθαι ἔσαν ἰοί,
τόφρα μνηστήρων ἕνα γ' αἰεὶ Ϝῷ ἐνὶ Ϝοίκῳ
'βάλλε τιτυσκόμενος· τοὶ δ' ἀγχιστῖνοι ἔπιπτον.

Haec ergo Ulysses faciebat quamdiu ipse sagittas habebat. Et quid deinde, cum consumptae essent omnes? Sumpsitne a comitibus? Immo vero: arcum deposuit, galeam clipeumque sumpsit, hastis rem gerere coepit. Sequitur ergo ut *αὐτῷ* hic Attico more positum dicamus pro epico *Ϝοι* Haud dubie idem factum vs. 149. Narratum est quomodo arma a Melanthio clam sint allata procis. Sequitur:

147 *καὶ τότ' Ὀδυσσῆος 'λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ,*
ὡς περιβαλλομένους 'Ϝίδε τεύχεα χερσί τε δοῦρα
μακρὰ τινάσσοντας· μέγα δ' αὐτῷ 'φαίνετο Ϝέργον.

154 sqq. Novi periculi admonet filium Ulysses; ille respondet:

ὦ πάτερ, αὐτὸς ἐγὼ τόδε γ' ἤμβροτον — οὐδέ τις ἄλλος
αἴτιος —, ὅς θαλάμοιο θύρην πυκινῶς ἀραρυῖαν
κάλλιπον ἀγκλίνας· τῶν δὲ σκοπὸς ἦεν ἀμείνων.

Quid ultima haec significant? An sic fere intelligenda: „apud adversarios fuit quidam tam diligens speculator quam ego fui negligens custos: quod enim ego neglexeram, id ille acute observavit et in suum usum convertit"? Sic tamen vix abesse poterat particula *ἄρα*.

167 sqq. Videt Eumaeus Melanthium intrantem cubiculum rogatque Ulyssem:

ἤ μιν ἀποκτείνω, αἴ κε κρείσσων γε γένωμαι,
ἠὲ σοὶ ἐνθάδ' ἄγω

Respondere sic incipit Ulysses:

ἦ τοι ἐγὼ καὶ Τηλέμαχος μνηστῆρας ἀγανοὺς
σχήσομεν ἔντοσθεν μεγάρων μάλα περ μεμαῶτας.

Quid haec ad ea quae rogatus est? quispiam quaerat. Equidem praemissa suspicor, quia iussurus est Ulysses Eumaeum

non solum ire sed Philoetium secum ducere. Sequitur enim: *σφῶι δ' ἀποστρέψαντε κτἑ.*

173 sqq. Quid autem Eumaeo Philoetioque agendum est? Audiamus ipsum Ulyssem:

σφῶι δ' ἀποστρέψαντε πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε
ἐς θάλαμον βαλέμεν, σανίδος δ' ἐκδῆσαι ὄπισθε,
σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτόο πειρήναντε
κίον' ἀν' ὑψηλὴν Ϝερύσαι πελάσαι τε δοκοῖσι.

Quid sit aliquem p o n e t a b u l a m vincire iuxta cum ignarissimis ignoro. Sed fortasse totus versus 174 eiiciendus est: nam inter se certant haec: „manibus pedibusque aliquem vincire et coniicere in cubiculum, nimirum ut ibi maneat donec de eo decretum fuerit" et „eundem suspendere". Versu autem 187 sqq., ubi servi iussa domini exsequuntur, nulla *σανίς* commemoratur et vinctus Melanthius statim suspenditur; et *εἴσω* quidem *'Ϝέρυσαν* eum atque ibi *χαμαὶ 'βάλον*, sed non vinctum, verum ut vincire possent.

182 sqq. Ad fores cubiculi assistunt Eumaeus Philoetiusque dum arma ibi conquirit Melanthius; tum:

εὖθ' ὑπὲρ οὐδὸν ἔβαινε Μελάνθιος αἰπόλος αἰγῶν,
τῇ ἑτέρῃ μὲν χειρὶ φέρων καλὴν τρυφάλειαν,
τῇ δ' ἑτέρῃ σάκος εὐρὺ γέρον, πεπαλαγμένον ἄζῃ,
Λαέρτα' ἥρωος, ὃ κουρίζων' φορέεσκε —
δὴ τότε γ' ἤδη ἔκειτο, ῥαφαὶ δ' ἐλέλυντο ἱμάντων —
τὼ δ' ἄρ' ἐπαΐξανθ' ἑλέτην 'Ϝέρυσάν τέ μιν εἴσω.

Non insolite solum sed et mire inepteque istud *γέρον* dictum, et vix credibile hic factum quod nusquam alibi, ut et adiectivi vicem impleret *γέρων* et in genere neutro poneretur, nisi si librariorum culpa factum est. Accedit quod cum haec sequantur: „situ commaculatum" et „cuius baltei iam inde essent dissoluti" satis languide praemittitur una vox

„vetus". Has ego ob causas totum istud γέρον natum suspicor e verbo elegantissime quidem posito, quodque magnam loco praeberet venustatem, sed, quoniam structuram, quam exornabat, corrumpere videretur, facile inutilium coniecturarum ansam praebere posset; et cum semel a coniecturis praesidium peteretur, ipsa narratio sponte illud γέρον, quamvis ineptum esset, subministrabat. Olim ergo sic scriptum suspicor:

τῇ δ' ἑτέρῃ σάκος εὐρὺ 'φέρεν, πεπαλαγμένον ἄζῃ.

248 sqq. Minerva, sumpta Mentoris figura, bona spe implet Ulyssem eiusque socios, tum in avem conversa evolat et in superiore parte conclavis assidit. Mentorem ergo iam non cum adversariis stantem videns procorum unus Agelaus sic socios suos, qui etiam supersunt, adhortatur:

ὦ φίλοι, ἤδη σχήσει ἀνὴρ ὅδε χεῖρας ἀάπτους·
καὶ δή ϝοι Μέντωρ μὲν ἔβη κενέ' εὔγματα ϝειπών.

Ergone proci quoque Minervam dicentem audiverunt:

ἀλλ' ἄγε δεῦρο, πέπον, παρ' ἔμ' ἵστασο κτἑ.?

Sed hoc mitto. Agelaum monentem audiamus:

τῷ νῦν μὴ ἅμα πάντες ἀφίετε δούρατα μακρά.

Hoc intelligo; si simul omnes tela iaciunt aut omnes unum scopum petendo plus telorum absumunt quam opus est, aut tumultuarie agunt. Quo modo ergo agendum esse prudens docet magister?

ἀλλ' ἄγεθ' οἳ ϝὲξ πρῶτον ἀκοντίσατε

„Vos, qui sex numero estis" (enumerati autem cum ipso Agelao sunt vss. 241 sqq.) „primum coniicite tela". Vos primum, et deinde qui? Vulgusne procorum? At quid prodest eiusmodi consilium: ut duces primum tela mittant, deinde illi quibus praesunt? Meliorem certe locum reddidit, sed non persanavit Naberus legendo οἳ ϝὲξ πρῶτοι. Si enim duces tela mittent, quid faciet vulgus? Otiosumne adstabit? Sic certe telis parcitur, sed parum proficitur. Equidem quid hic requi-

ratur optime sentio, et verae lectionis partem quoque hic deprehendo, sed quomodo totam restituam non video. „Non omnes simul". Quid opponitur? Nimirum: ordine et suo quisque tempore. Id autem in ἕξ latet; etenim vox qua hic carere non possumus est ἑξείης.

Paulo post Ulysses suas copias adhortatur et hoc utitur exordio:

262 ὦ φίλοι, ἤδη μέν κεν ἐγὼ Ϝείποιμι καὶ ἧμιν.

Quid sibi vult istud καὶ ἧμιν? An Agelai allocutionem audisse censendus est Ulysses, ut ipse nunc sic incipiat: „audivi adversariorum ducem orationem habentem; nunc ut opinor et nobis allocutione opus est"? Satis absurde; vide quae ad vs. 248 sqq. annotavimus.

312 sqq. Resistere iam Ulyssi eiusque comitibus non possunt proci, sed ingens fit eorum strages tamquam imbellis pecoris. Hic procorum unus supplex se Ulyssi ante pedes proiicit et sic precatur:

γουνάομαί σ', Ὀδυσεῦ, σὺ δέ μ' αἴδεο καί μ' ἐλέησον·
οὐ γάρ πώ τινα φημὶ γυναικῶν ἐν μεγάροισι
Ϝειπέμεν' οὐδέ τι ῥέξαι ἀτάσθαλον· ἀλλὰ καὶ ἄλλους
'παύεσκον μνηστῆρας, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Mira defensio. Haeccine ergo praecipua procorum iniuria quod ancillas Ulyssis dictis factisque laedebant? Nusquam eos hoc nomine legimus reprehendi, sed quod boves suesque absumebant vinumque effundebant hoc et Telemacho et Ulyssi illum gravissimae vindictae inspirabat amorem; deinde omnino adversus omnes contumeliose se gerebant, postremo nonnullis eorum ancillarum noctes pro iniuriae fuerunt cumulo. Huccine ergo supplicis nostri verba spectant? Non ausim negare, quamquam satis inepte illud sic significatur γυναῖκας Ϝειπεῖν καὶ ῥέξαι ἀτάσθαλον. Ineptius tamen etiam quod sequitur

ἀλλὰ καὶ ἄλλους
'παύεσκον μνηστῆρας.

Risum enim movet vir qui procos cum ancillis concubituros gravi oratione ne illud faciant obtestetur. Neque usquam tota Odyssea quisquam id faciens inducitur. Sed fortasse in τινα et γυναικῶν vitii latet aliquid, nam cetera sunt aptissima: „nunquam quidquam domi tuae contumeliose feci dixive", haec esse solet oratio hominis qui ut sibi uni parcatur orat. Nam verum quidem est huiusce loci poëtam satis pueriliter pannos epicos collegisse: vide modo istud ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι (ubi vel una particula γε, cui nullus hic locus, ineptum prodit imitatorem); vix tamen quemquam hominem cogitare possum tam perversum, qui cum multa ponere posset loquentis personae convenientia, unum hoc elegerit quod tam esset insulsum.

378 sqq. Filii precibus motus Ulysses blanda oratione Medontem fetialem accurrentem mortemque deprecantem excipit, metum ei demit et tam illum quam cantorem Phemium, qui modo iisdem precibus usus erat, incolumem fore asseverat. Tum utrumque e conclavi atque e caede exire iubet seque foris sedentes exspectare. Sequitur:

ὣς 'φάτο, τὼ δ' ἔξω 'βήτην μεγάροιο κιόντε·
ἑζέσθην δ' ἄρα τώ γε Διὸς μεγάλου ποτὶ βωμὸν,
πάντοσε παπταίνοντε, φόνον ποτιδεγμένω αἰεί.

Ergone ne nunc quidem illi se periculo exemptos putant? Aiunt viri docti Ulyssem hic tamquam barbarum saevum crudelemque depingi, neque ego infitior; sed in ipso proelio atque caede talem se gerit. Post praelium eum se conversurum ad imbelles supplices, quos modo timorem ponere iusserit, atque illos trucidaturum vix quisquam exspectet. Et si tamen supplices id verebantur, anxie illos conclavi intentos habuisse oculos consentaneum est, cum semper inde prodeun-

tem videre sibi viderentur Ulyssem ad se mactandos. nam ex alia parte aedium certe mali imminebat nihil. Ut ad pauca redeam: versum 380 spurium censeo, neque id tam propter rationes propositas quam quod post illud:

πάντοσε παπταίνοντε, φόνον ποτιδεγμένω αἰεὶ

statim sequitur:

'πάπτηνεν δ' Ὀδυσεὺς καθ' ἑϜὸν δόμον, κτέ.

Nimis ingrata enim illa eiusdem verbi repetitio; et Ulyssem circumspicientem per totum conclave si forte superesset aliquis adversariorum atque in aliquo delitesceret angulo egregie illud decet; quam parum aptum esset supplicibus iam vidimus.

383 sqq. Oculis ergo totum lustrabat conclave Ulysses, si forte procorum aliquis vivus etiam surripere se conaretur:

τοὺς δ' ἔϜιδεν μάλα πάντας ἐν αἵματι καὶ κονίῃσι
πεπτεότας πολλοὺς ὥς τ' ἰχθύας, οὕς θ' ἁλιῆες
κοῖλον ἐς αἰγιαλὸν πολιῆς ἔκτοσθε θαλάσσης
δικτύῳ ἐκϜέρυσαν.

Vs. 384 haereo, vosque nihil annotasse miror. Ergone vos non offendit πάντας ... πολλούς? Mihi illud vix et ne vix quidem ferendum videtur. Cum enim omnino haud facile illa inter se iungi possunt adiectiva, tum hic alterum altero repellitur respuiturque. Quominus simul ferantur obstat adverbium μάλα, quod versui suo hanc fere praebet sententiam: „at videbat dubium non esse quin omnes iacerent exanimes" [1]). Sequi nunc non possit πολλούς nisi fingamus Ulyssem ab illa perscrutatione, quam suae securitatis causa instituerit, subito se ad admirationem stragis a se editae convertentem, quod absonum videtur. Aut ergo πολλούς corruptum est, aut una illa voce vel maxime confirmatur Fickii sententia versus

[1]) De peculiari illo colore, quem saepe μάλα sententiae praebeat, olim dixi quaedam hinc non aliena in *Stud. Antiphont.* p. 10 sqq.

384—9 damnantis. Quamquam totus locus satis est ineptus, ubi proci illi exanimes comparantur cum piscibus, qui:

κύμαθ' ἁλὸς ποθέοντες ἐπὶ ψαμάθοισι κέχυνται.

Pisces enim, qui effusi iacent in litore maris undam desiderantes, saliunt ut opinor. Quam absurda esset imago, recentior quidam interpolator sensit ergoque ut malo mederetur insulsum versum adiecit:

τῶν μέν τ' ἠέλιος φαέθων ἐξείλετο θυμόν·

alterumque aperte repugnantem praecedentibus:

ὥς τότ' ἄρα μνηστῆρες ἐπ' ἀλλήλοισ' ἔκεχυντο.

Nam pisces ἐπὶ ψαμάθοισι κέχυνται: dispersi iacent in litore.

395 sqq. Procorum nullum superesse ubi vidit Ulysses filium iubet Eurycleam vocare; ille autem foribus apertis sic grandaevam nutricem alloquitur:

δεῦρο δὴ ὄρσο, γρῆυ παλαιγενὲς, ἥ τε γυναικῶν
δμῳάων σκοπός ἐσσι κατὰ μέγαρ' ἡμετεράων·
ἔρχεο· κικλήσκει σε πατὴρ ἐμὸς, ὄφρα τι ϝείπῃ.

Hic, postquam de lectionibus ὄρσο et ὄρσεο dixistis, haec additis: „nobis tragica versuum 395 sq. verbositas gravius etiam displicet quam metrum duriusculum.'' Quae verissima est prudentissimaque sententia, nisi quod rhetoricam potius pompam hic notandam censeo quam tragicam. Rhetor hic Telemachus fingitur. Quid enim? Peractum est proelium, certa est victoria, nunc ille in apertis stans foribus altera manu patrem monstrans sanguine perfusum procorumque exanima corpora, altera nutricem ad se vocans, grandiloqua hac utitur oratione, quae longae narrationi splendidum imponat finem: „surge, grandaeva nutrix, quae in nostris aedibus servarum es magistra, atque huc veni: pater te vocat''. Rhetorica autem ista σεμνότης poësi epica longe arcenda est. Non semper id viri docti reputarunt, immo saepe ultro eam in carmina introduxe-

runt Homerica. Ita Kirchhoffius ψ 293 sqq. ubi nunc legitur:

τοῖσιν δ' Εὐρυνόμη θαλαμηπόλος ἡγεμόνευε
ἐρχομένοισι λέχοσδε, δάος μετὰ χερσὶν ἔχουσα·
ἐς θάλαμον δ' ἀγαγοῦσα πάλιν 'κίεν. οἳ μὲν ἔπειτα
ἀσπάσιοι λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο.
αὐτὰρ Τηλέμαχος καὶ βουκόλος κτἑ

suspicatur ipsum poëtam scripsisse *δ' ἄρ'* (pro *μέν* vs. 295), diasceuastam autem *μέν* substituisse ut addi possent sequentia. Mihi vero ista:

οἳ δ' ἄρ' ἔπειτα
ἀσπάσιοι λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο

clausulam efficere carminis videntur oratore quam poëta digniorem. Eadem causa est cur probari mihi non possit Naberi sententia, qui in egregiis illis Quaestionibus Homericis, postquam multa docte atque acute de pristina Iliadis forma disputavit, tandem rem eo perducit, ut vetustissimum de Achillis ira carmen finitum fuisse statuat gravi hac atque splendida peroratione:

ἠρόμεθα μέγα κῦδος, ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον.

Addam aliquid, quod multis mirum videbitur fortasse, atque iamdudum explosum refutatumque: at mihi certa hic stat sententia, et quo magis eam animo revolvo eo fit certior. Ad Achillem dormientem Patrocli venit umbra: vituperat eum quod dulcissimo amico amisso somnum capere possit, ut sui recordetur admonet, ut sepulturae suae quam primum det operam hortatur. Sed simul ei revocat in mentem quam longa quamque firma inter se iuncti fuerint amicitia; a suo patre se olim ad Achillis patrem adductum commemorat, neque addere negligit cur factum illud sit; inde a Peleo maxima se educatum cura Achillisque factum clientem atque in bello ministrum. Denique hasce preces subiicit:

ὣς δὲ καὶ ὀστέα νῶιν ὁμὴ σόρος ἀμφικαλύπτοι
χρύσεος ἀμφιφορεύς, τόν τοι 'πόρε πότνια μήτηρ.

Mihi, ne quid dissimulem, lepidissima haec videntur, venustissima, plenissima nativae simplicitatis. Non satis est Patroclo ossa sua amicique eadem urna condi, nisi ea condantur urna, quam bene notam habeat uterque, quam Achilli dono dederit mater, quamque ipse toties Pelei domi sit admiratus. Aliter visum doctis Alexandrinis, qui primum *ἀπρεπῆ στίχον* vocant, deinde ad certum heroum usum in corporibus mortuorum cremandis sepeliendisque provocant. Quasi vero poëta enchiridion scripserit antiquitatis Homericae, hominesque illi, non suae naturae, convenienter loquentes induxerit. At ego illo versu abiecto non iam Patroclum flentem precantemque audio sed oratorem, qui accurate elimatam declamationem rotunda quadam perfectaque periodo cum clausit, *εἴρηκα* vel *οὕτω γένοιτο* magna pronuntiet vocis gravitate.

408 sqq. Euryclea procos stratos occisosque videns *ἴθυσέν ῥ᾽ὀλολῦξαι*, sed retinuit eam Ulysses sic loquendo:

411 *ἐν θυμῷ, γρηῦ, χαῖρε καὶ ἴσχεο μηδ᾽ ὀλόλυζε·*
οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν εὐχετάεσθαι.

Non ausim obloqui doctis annotationibus vestris, quibus primum verbum *ὀλολῦξαι* sic interpretamini: a l t a v o c e d e o s i n v o c a r e, deinde vs. 412 sic illustratis: „n e f a s e s t i n t e r c a e s o r u m h o m i n u m c o r p o r a d e o s p r e c a r i; cf Z 268. Non vertendum esse g l o r i a r i c a e s o h o s t e verissime observatur in schol., ubi apte affertur *Λ* 449; sic tamen locum accepisse videtur Archilochus a schol. allatus (fr. 66):

οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ᾽ ἀνδράσι."

Sed nunc non video quomodo cum vs. 412 cohaereant sequentes versus:

τούσδε δὲ μοῖρ᾽ ἐδάμασσε θεῶν καὶ σχέτλια ϝέργα·
οὔ τινα γὰρ ᾽τίεσκον ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
415 *οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ὅτις σφέας εἰσαφίκοιτο·*
τῷ καὶ ἀτασθαλίῃσιν ἀϝεικέα πότμον ἐπέσπον.

Si vero versum 412 sic interpretamur „nefas est caeso hoste gloriari" aptissime sequitur: „quamquam (neque misericordia digni isti sunt etenim) ea commiserunt quae morte essent luenda." An versus 413—6 adiecit aliquis qui eodem modo quo Archilochus versum 412 acceperit?

421 sqq. Iussa a Telemacho indicare ancillas poena dignas sic Euryclea incipit:

πεντήκοντά τοι εἰσὶν ἐνὶ μεγάροισι γυναῖκες·
422 *δμῳαί, τὰς μέν τ' ἔργ' ἐδιδάξαμεν ἐργάζεσθαι,*
εἴριά τε ξαίνειν καὶ δουλοσύνην ἀνέχεσθαι·
τάων δώδεκα πᾶσαι ἀναιδεΐης ἐπέβησαν,
425 *οὔτ' ἐμὲ τίουσαι οὔτ' αὐτὴν Πηνελόπειαν.*
Τηλέμαχος δὲ νέον μὲν ἀέξετο, οὐδέ ϝε μήτηρ
σημαίνειν εἴασκεν ἐπὶ δμῳῇσι γυναιξί.

Hic vos Knightio Fickioque praeeuntibus versus 422 sq. eiecistis; iure, ut opinor: taedium enim movet ista verbositas. Multo tamen minus ferendi sunt 426 sq., quos damnat Herwerdenus. „Istae neque me curabant neque ipsam Penelopen": sufficiunt haec, ut opinor, ad procacium ancillarum temeritatem notandam. Non ita interpolatori visum, qui addendum crediderit, qui factum sit ut ne Telemachus quidem eas ad officium redigere posset. Ineptam ergo sententiam: „Telemachus puer etiam erat, neque ei imperium in ancillas mater permittebat" inepte enuntiatam adiecit. Quis enim unquam sic locutus est *νέον ἀέξετο* hoc fere sensu: „vixdum ad adolescentiam pervenerat"?

428 sq. Haec Euryclea addit:

ἀλλ' ἄγ' ἐγὼν ἀναβᾶσ' ὑπερώια σιγαλόεντα
ϝείπω σῇ ἀλόχῳ, τῇ τις θεὸς ὕπνον ἐπῶρσε.

Vetat eam id facere Ulysses his verbis: *μή πω τήνδ' ἐπέγειρε κτἑ.* Nimis *δεικτικόν* istud *τήνδ'*, legendumque *τήν γ'*.

465 sqq. Poena capitalis a Telemacho de infidis sumpta ancillis sic describitur:

πεῖσμα νεὸς κυανοπρῴροιο
κίονος ἐξάψας μεγάλης περίβαλλε θόλοιο.
ὑψόσ' ἐπεντανύσας, κτἑ.

Quid hic fiat fere intelligo, quo modo dicatur non video: Telemachus longum funem alligat columnae alti tholi; hoc perspicuum. Deinde illum funem ancillis circumdat, ita ut singulis ex illo fune factis laqueis singula inhaereant colla. Paulo enim post legimus: *ἀμφὶ δὲ δειρῇ πάσῃσι βρόχοι ἦσαν* (vs. 471 sq.), neque verisimile funem illum fuisse patibuli instar cui laquei ex duodecim (tot enim erant ancillae) restibus facti annecterentur. Tum, ut omnes simul suffocaret, totum funem in altum attrahit, quod sic factum fingo: funis ille summae fuerat columnae alligatus et inde dependebat; ab eo autem funis loco quo fere pertinerent ancillarum humeri laquei fieri coepti, qui cum collis essent circumiecti, altera funis pars ut de trabe quadam, columnae illi opposita, dependeret effecit Telemachus, aut iactu manus aut in tectum tholi ascendendo, pendentemque magno corporis nisu detraxit et prope humum alligavit clavo annulove. Sed ut huic descriptioni verba responderent, dicendum erat: *περιβαλὼν .... ὑψόσ' ἐπεντάννυσε* aut *περίβαλλε .... καὶ ὑψόσ' ἐπεντάννυσε*. Ex *περίβαλλε .... ὑψόσ' ἐπεντανύσας* nullum sanum sensum extundo. An forte *ὑψόσε τ' ἐντάννυσεν* legendum? Nam in carmine rerum mirabilium pleno quis non aequo animo ferat ab uno Telemacho duodecim ancillas simul in altum trahi?

482 sqq. Ulysses Eurycleam et alia iubet et haec:

Πηνελόπειαν
ἐλθέμεν' ἐνθάδ' ἄνωχθι σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξί·
πάσας δ' ὄτρυνον δμῳὰς κατὰ δῶμα νέεσθαι.

Versu 484 νέεσθαι veniendi sensu positum esse allato σ 186 monetis; recte, nam vs. 496 Euryclea dicitur abire

ἀγγελέουσα γυναιξὶ καὶ ὀτρυνέουσα νέεσθαι.

Sed quid nunc est κατὰ δῶμα? An per totas aedes illae mulieres sparsae erant iungendaque inter se πάσας et κατὰ δῶμα hoc sensu: „omnes mulieres, quae sunt aliae in aliis aedium partibus"? Dixeris propter vs. 495 sq.:

γρῆυς δ' αὖτ' ἀπέβη διὰ δώματα κάλ' Ὀδυσῆος
ἀγγελέουσα γυναιξὶ κτέ.

At illic statim sequitur:

497 αἱ δ' ἴσαν ἐκ μεγάροιο δάος μετὰ χερσὶν ἔχουσαι.

Non ex diversis ergo partibus aedium veniunt sed ex eodem omnes conclavi. Non video quomodo haec inter se reconciliari possint, lubenterque Kirchoffio obtempero totum illum versum 497 delenti. Accedit enim quod satis dure illi hic adiicitur:

αἱ μὲν ἄρ' ἀμφεχέοντο καὶ ἠσπάζοντ' Ὀδυσῆα

quodque inepte tamquam in pompa singulae facem tenent.

494 Igne sibi et sulphure ab Euryclea allato Ulysses:

εὖ ἐθεείωσεν μέγαρον καὶ δῶμα καὶ αὐλήν.

Annotatis: „c o n c l a v e (in quo strages procorum facta est) totasque a e d e s atque a u l a m. Incipit ab ipso qui caede pollutus est loco, deinde totam suam domum lustrat." Neque credo aliter illa vocabula intelligi posse. Sed si ipse t o t a m d o m u m Ulysses lustrat, cur praeterea anum Eurycleam totam percurrere domum cogit ad ancillas vocandas? Quidni ipse illud παριών facit? Non esse illud regiae dignitatis si quis dicat, equidem respondeam absurdius tamen esse solemniter per praeconem ad se arcessere homines, ad quos vixdum dimisso praecone ipse sis iturus. Deinde ancillae illae vs. 498 sq. Ulyssem tamquam nunc primum visum salutant. Ergone lustrantem videre se dissimulaverunt?

Legitur autem vs. 498 sq.:

αἳ μὲν ἄρ' ἀμφεχέοντο καὶ ἠσπάζοντ' Ὀδυσῆα
καὶ 'κύνεόν ϝ' ἀγαπαζόμεναι κεφαλήν τε καὶ ὤμους.

Illud ϝ' altero versu vos adiecistis. At Novi Testamenti est oratio *ἠσπάζοντο Ὀδυσσέα καὶ ἐκύνουν αὐτόν*, sermo vere Graecus huiuscemodi duplex obiectum respuit.

LIBER XXIII.

52 sq. Euryclea postquam narravit quomodo sit facta procorum strages haec addit:

ἀλλ' ἕπε', ὄφρα σφῶιν ἐυφροσύνης ἐπιβήῃ
ἀμφοτέρων φίλον ἦτορ.

Annotatis: ἐπιβήῃ Bekker, ἐπιβῆτον codices; quae novicia est forma pro —βήετον neque conciliari potest cum σφῶιν et ἀμφοτέρων. Bekkeri coniecturae favet χ, 424." At mihi Bekkeri lectio languidissima videtur: „ut vestrum amborum cor ad laetitiam veniat". Longeque aliud est quod χ, 424 legitur:

τάων δώδεκα πᾶσαι ἀναιδείης ἐπέβησαν.

Equidem pro isto ἐπιβῆτον coniicio ἐπιβήσω: „sequere me ut utriusque vestrum mentem ad laetitiam adducam". Cf. η 223:

ὥς κ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἐμῆς ἐπιβήσετε πάτρης.

Rarior illa forma transitiva facile corruptelae ansam dare potuit.

73 sqq. Penelopen non maritum suum esse illum sed deorum aliquem qui procos occiderit dicentem Euryclea vituperat suamque narrationem sic confirmat:

ἀλλ' ἄγε τοι καὶ σῆμα ἀριφραδὲς ἄλλο τι ϝείπω,
οὐλήν, τήν ποτέ μιν σῦς ἤλασε λευκῷ ὀδόντι·
τὴν ἀπονίζουσ' ἐφρασάμην, ἔθελον δὲ σοὶ αὐτῇ
ϝειπέμεν' κτέ.

Nullus hic locus pronomini *αὐτῇ*: quid enim cogitari debet potestve verbis „tibi ipsi" oppositum? Legendum, ut opinor, est *αὐτή*, ut haec sit totius versus sententia: „ipsa illam cicatricem lavans eum vidi, ipsa ad te nuntium ferre volui," quod fere idem est ac si diceret: „statim illa visa certiorem te facere volebam."

109 sq. Si revera maritus suus intus sit, haud difficilem fore *τὸν ἀναγνωρισμόν* Penelope dicit hoc argumento usa:

ἔστι γὰρ ἧμιν

σήμαθ', ἃ δὴ νῶι κεκρυμμένα Ϝίδμεν ἀπ' ἄλλων.

Sic vos legitis pro *σήμαθ' ἃ δὴ καὶ νῶι*, multo melius quam alii, qui ad ineptum istud *καί* eliminandum *σήμαθ' ἃ δὴ κατὰ νῶι κεκρυμμένα* vel *σήμαθ' ἃ δὴ μούνω κεκρυμμένα* proposuerunt. Sed vitium superest, quod quomodo tolli possit non video: recte enim dici *κεκρυμμένα ἀπ' ἄλλων* haud facile mihi persuadebitur.

131 sq. Ne nimis cito nuntius de occisis procis per insulam spargatur, efficiendum esse ut praetereuntes et prope habitantes nuptias in aedibus regiis celebrari credant, Ulysses filium docet. Iubet ergo:

πρῶτα μὲν ἂρ λούσασθε καὶ ἀμφιϜέσασθε χιτῶνας,
δμῳὰς δ' ἐν μεγάροισιν ἀνώγετε Ϝείμαθ' ἑλέσθαι.

Itane vero! Haec ergo nisi iussisset Ulysses, Telemachus sociique *ἄνευ χιτώνων* manerent, ancillaeque, permittente domino, nudae de balneo per aedes ambularent? Aut imperitissimo poëtae totus hic locus debetur aut aliquo infortunio periit quod primarium erat. Non enim tantummodo v e s t e s sumendae sunt, sed illae vestes quibus tempore festo uti consueverunt.

166 sqq. Uxorem adversum sedentem neque se commoventem sic Ulysses alloquitur:

δαιμονίη, περὶ σοί γε γυναικῶν θηλυτεράων
κῆρ ἀτέραμνον ἔθηκαν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.

οὐ μέν κ' ἄλλη γ' ὧδε γυνὴ τετληότι θυμῷ
ἀνδρὸς ἀφεσταίη, ὅς ϝοι κακὰ πολλὰ μογήσας
ἔλθοι ἐϝεικοστῷ ϝέτεϊ ἐς πατρίδα γαῖαν.

Ut melius haec cohaereant pro *οὐ μέν* (vs. 168) legendum est *οὐ γάρ*.

174 Lectum sibi sterni tamquam iam cubitum ituro, quandoquidem ab uxore non agnoscatur, Ulysses iubet. Hic illa:

δαιμόνι', οὔτ' ἄρ τι μεγαλίζομαι οὔτ' ἀθερίζω

h. e. ut opinor: „quod sic ago non fit superbia neque tui contemptu." Sed sequitur vs. 175: *οὔτε λίην ἄγαμαι* quod quomodo et quo sensu annectatur praecedentibus pervelim me doceatis. An *ἄγασθαι* eius est qui vix oculis suis fidem habeat?

175 sqq. Tum sic pergit:

μάλα δ' εὖ ϝοῖδ', οἷος ἔησθα
ἐξ Ἰθάκης ἐπὶ νηὸς ἰὼν δολιχηρέτμοιο.
ἀλλ' ἄγε ϝοι στόρεσον πυκινὸν λέχος, Εὐρυκλέεια,
ἐντὸς ἐυσταθέος θαλάμου, τόν ῥ' αὐτὸς ἐποίει·
ἔνθα ϝοι ἐνθεῖσαι πυκινὸν λέχος ἐμβάλετ' εὐνήν.

Ad ultimum versum annotatis: „*ἐνθεῖσαι* nos, *ἐκθεῖσαι* codices. In vulgata absurde Penelope e x t r a t h a l a m u m hospiti lectum struere iubet ancillas; non enim iam negat eum maritum suum esse (*ἔησθα* vs. 175), callido vero consilio fingit torum non amplius collocatum esse in cubiculo." Quod ad rem rectissime prudentissimeque, sed ut Graecum sit *ἔνθα ἐνθεῖσαι* vereor; certe Homericum non videtur. Quapropter malim: *ἔνθ' ἄρα ϝοι θεῖσαι*. Sic simul vitatur durum istud *ἐνθεῖσαι .... ἐμβάλετ'*.

183 Vixdum haec audivit Ulysses cum exclamat:

ὦ γύναι, ἦ μάλα τοῦτο ϝέπος θυμαλγὲς ἔϝειπες

additque:

τίς δέ μοι ἄλλοσ' ἔθηκε λέχος;

At inepte nunc novam interrogationem subiicit Ulysses, cum ipsius exclamationis ratio esset reddenda. Verum id ipsum quod hic desideratur ei restituetur, si verba tradita lenissima emendatione sic refinxerimus:

τίς γάρ μ' (μοι) ἄλλοσ' ἔθηκε λέχος;

188 sq. A viro mortali removeri vix et ne vix quidem potuisse torum contendit Ulysses:

ἐπεὶ μέγα σῆμα τέτυκται
ἐν λέχε' ἀσκητῷ· τὸ δ' ἐγὼ 'κάμον οὐδέ τις ἄλλος.

Quomodo signum in lecto factum esse dici possit non intelligo: ipse potius lectus signum est dicendum; nam qui illum accurate describit simul fere indicat se eius esse architectum. Abiiciendum ergo totum vs. 189 censeo; isto enim τὸ δ' ἐγὼ 'κάμον οὐδέ τις ἄλλος facile caremus, quoniam eodem spectat tota narratio, quae continuo sequitur.

202 sqq. Narrat ergo Ulysses quomodo lectum aedificaverit et cuiusmodi ille sit. Tum haec addit:

οὕτω τοι τόδε σῆμα πιφαύσκομαι

(Videtis hic revera vocabulo σῆμα lectum significari)

οὐδέ τι ϝοῖδα,
ἤ μοι ἔτ' ἔμπεδόν ἐστι, γύναι, λέχος, ἠέ τις ἤδη
ἀνδρῶν ἄλλοσ' ἔθηκε, ταμὼν ὕπο πυθμέν' ἐλαίης.

At modo (187 sq.) divinis opus esse viribus ad removendum lectum contendit: nunc ipse rationem indicat, qua id nullo negotio quivis mortalium facere potuerit.

209 sq. Hac audita narratione Penelope Ulyssem amplexa sic precatur:

μή μοι, Ὀδυσσεῦ, σκύζε', ἐπεὶ τά περ ἄλλα μάλιστα
ἀνθρώπων 'πέπνυσο.

Displicent hic primum istud τὰ ἄλλα, deinde plusquamperfec-

tum ᾽πέπνυσο, cum tota structura sententiae perfectum requirat, postremo illud verbum ipsum Quid enim? Speramusne nos ab aliquo veniam impetraturos, quoniam prudentissimus ille sit mortalium vel sapientissimus? Immo vero in clementia eius et mansuetudine spem nostram reponimus, nam prudentia saepe severitatem secum ducit.

257 sqq. Cubitum ire se velle ubi dixit Ulysses, respondet Penelope:

> εὐνὴ μὲν δὴ σοί γε τότ᾽ ἔσσεται, ὁππότε θυμῷ,
> σῷ ἐθέλῃς, ἐπεὶ ἄρ σε θεοὶ ᾽ποίησαν ἱκέσθαι
> ϝοῖκον ἐὺ κτίμενον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν·
> ἀλλ᾽ ἐπεὶ ἐφράσθης καί τοι θεὸς ἔμβαλε θυμῷ,
> ϝείπ᾽ ἄγε μοι τὸν ἄεθλον, κτἑ.

Scire pervelim quo sensu hic versus 260 positus sit. Legitur et τ 485, sed ibi facillimum habet intellectum: eo ad Eurycleam utitur Ulysses cum precatur ne se prodat; illa autem agnovit (ἐφράσθη) cicatricem (οὐλήν), atque hanc ei deorum aliquis in mentem revocaverat. At hic quodnam quaeso obiectum habent verba ἐφράσθης et ἔμβαλε? An huius loci poëta de toro illo cogitavit et nunc Penelopen haec fere dicentem facit: „quandoquidem tam bene tori illius recordaris ut iam dubitare nequeam quin sis Ulysses"? Ineptus ergo ille fuit compilator.

289 sq. τόφρα δ᾽ ἄρ᾽ Εὐρυνόμη τε ἰδὲ τροφὸς ἤντυον εὐνὴν
ϝεσθῆτος μαλακῆς.

Mire dictum εὐνὴν ἐσθῆτος μαλακῆς. Fortasse spurius est totus versus.

306 sq. Mutuis sermonibus in memoriam praeteritorum malorum redibant Penelope et Ulysses: et illa quidem procorum iniurias referebat:

αὐτὰρ ὁ διογενὴς Ὀδυσεὺς, ὅσα κήδε' ἔθηκε
ἀνθρώποισ' ὅσα τ' αὐτὸς ὀιζύσας ἐμόγησε.

ὁ διογενὴς Ὀδυσεύς: hoccine ferendum in editione ad certam sermonis normam redacta? Nam quod e. c. legitur ζ 1:

ὧς ὁ μὲν ἔνθα καθηῦδε πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς

ibi, interiectis *ἔνθα καθηῦδε*, verba *πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς* accipi possunt tamquam appositio subiecti et pronominis *ὅ*.

350 sqq. De lecto surgit Ulysses et sic uxorem alloquitur:

ὦ γύναι, ἤδη μὲν πολέων κεκορήμεθ' ἀέθλων
ἀμφοτέρω, σὺ μὲν ἐνθάδ' ἐμὸν πολυκηδέα νόστον
κλαίουσ', αὐτὰρ ἐμὲ Ζεὺς ἄλγεσι καὶ θεοὶ ἄλλοι
Ϝιέμενον 'πεδάεσκον ἐμῆς ἀπὸ πατρίδος αἴης.

Arena sine calce ista sunt *ἄλγεσι .... αἴης*.

369 sqq. Iam iam adfuturos procorum ultores ratus Ulysses ipse arma induit et Telemacho Eumaeo Philoetio ut idem faciant imperat:

οἳ δέ Ϝοι οὐκ ἀπίθησαν, ἐθωρήσσοντο δὲ χαλκῷ,
ὤιξαν δὲ θύρας, ἐκ δ' ἤισαν· ἦρχε δ' Ὀδυσσεύς.
ἤδη μὲν φάος ἦεν ἐπὶ χθόνα, τοὺς δ' ἄρ' Ἀθήνη
νυκτὶ κατακρύψασα θοῶς ἐξῆγε πόληος.

Versu 371 pro *ἤδη μέν* legendum credo *ἤδη γάρ*. Dixerit aliquis illud *μέν* iungendum esse cum sequente *δ'*. At sic si locum acceperimus totus versus 371 nullo vinculo cum praecedente cohaerebit, et illud *δ'* suam sibi hic vim habebit etiamsi *μέν* non praemittatur. Si *γάρ* legimus, ratio redditur cur iam Ulysses sociique se dent in viam, quod est aptissimum.

LIBER XXIV.

196 sqq. Agamemnon apud inferos narratione de procorum interitu audita fortunam Ulyssis beatam praedicat, qui talem habeat uxorem, additque:

τῷ ϝοι (Penelopae) κλέος οὔ ποτ᾽ ὀλεῖται
ϝῆς ἀρετῆς, τεύξουσι δ᾽ ἐπιχθονίοισιν ἀοιδὴν
ἀθάνατοι χαρίεσσαν ἐχέφρονι Πηνελοπείῃ.
οὐχ ὡς Τυνδαρέου κούρη κακὰ ᾽μήσατο ϝέργα,
κουρίδιον κτείνασα πόσιν· στυγερὴ δέ τ᾽ ἀοιδὴ
ἔσσετ᾽ ἐπ᾽ ἀνθρώπους, χαλεπὴν δέ τε φῆμιν ὄπασσε
θηλυτέρῃσι γυναιξὶ, καὶ ἥ κ᾽ ἐυϝεργὸς ἔῃσι.

Risum movent boni dii, qui Penelopae carmen componunt tamquam virtutis praemium, atque ambabus manibus Bothii Bekkerique emendationem (vs. 198) quae unicuique legenti in mentem venire debet, ἐχέφρονα Πηνελόπειαν arripio: ipsa Penelope cantabitur, sic dii voluerunt. Atque eodem modo Clytaemnestra cantabitur, sed non ab admirantibus laudantibusve, verum ab exsecrantibus et detestantibus. Quare nollem vs. 200 pro τ᾽ scripsissetis ϝ᾽. Nam concedo quidem parum eleganter vs. 201 particulas δέ τε repeti, sed eiusmodi naevos relinquendos censeo potius quam cum sententiae detrimento tollendos. Quid enim Κλυταιμνήστρῃ ἔσσετ᾽ ἀοιδή significare potest? Nihil, ut opinor, aliud quam: „Clytaemnestra carmen habebit."

209 sq. Laërtae aedes describuntur, tum sequitur:

ἐν τῷ ἐσιτέσκοντο καὶ ἵζανον ἠδ' ἐνίαυον
δμῶες ἀναγκαῖοι τοί ϝοι φίλα 'ϝεργάζοντο.

Quid in φίλα latet? Nam φίλα 'ϝεργάζοντο nihili est.

Vs. 241 et paulo post vs. 282 casus obliqui pronominis αὐτός leguntur Attico more positi pro Homericis ϝου, ϝοι cet. Alter est huiuscemodi: Ulysses conspecto patre deliberat utrum statim ad eum accurrat an prius mentem eius temptet: hoc tamen ei melius videtur. Sequitur:

τὰ φρονέων ἰθὺς' κίεν αὐτοῦ δῖος Ὀδυσσεύς.

Altero Laërtes Ulyssi roganti sitne hic Laërtae ager Laërtes respondet:

ξεῖν', ἦ τοι μὲν γαῖαν ἱκάνεις ἣν ἐρεείνεις·
ὑβρισταὶ δ' αὐτὴν καὶ ἀτάσθαλοι ἄνδρες ἔχουσι.

Iis autem Odysseae Iliadisve partibus, ubi talia frequentissima sunt, quid prodest accurate literam Aeolicam, ἦμες, ὗμες, formas dissolutas et similia restituisse? Nonne satius erat intacta relinquere omnia, e quibus aliquid de singulorum locorum aetate statui possit?

242. Ad patrem ergo accurrit Ulysses:

ἦ τοι ὃ μὲν κατέχων κεφαλὴν φυτὸν ἀμφελάχαινε.

Annotatis κατέχειν sensu demittendi nusquam alibi reperiri. Lubenter credo; sed suspicor hic quoque olim lectum fuisse vetustum verbum, quod illam haberet significationem, cui supra scriptum (id quod est in cod. P) κάτω ἔχων corruptelae ansam dederit.

309 sqq. Ulysses ad patris animum tentandum ficta quaedam de se suaque patria narravit; tum addit:

αὐτὰρ Ὀδυσσῆι τόδε δὴ πέμπτον ϝέτος ἐστὶ,
ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβη καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθε πάτρης,

δύσμορος· ἦ τέ ϝοι ἐσθλοὶ ἔσαν ὄρνιθες ἰόντι,
δεξιοί, οἷς χαίρων μὲν ἐγὼν ἀπέπεμπον ἐκεῖνον,
'χαῖρε δὲ κεῖνος ἰών· κτἑ.

Vs. 312 non tam molesta mihi est forma novicia ἐκεῖνον, quam ipsum illud pronomen; ineptissimum enim, cum sequatur 'χαῖρε δὲ κεῖνος ἰών, ἐμφατικὸν istud ἀπέπεμπον ἐκεῖνον videtur. Quodsi in vocabulis non haererem, ad genuinas formas restituendas lenissimam hanc proponerem emendationem:

δεξιοὶ οἷσιν ἐγὼ κεῖνον χαίρων ἀπέπεμπον.

Sed multo verisimilius videtur poëtam dedisse:

δεξιοί, οἷς χαίρων μὲν ἐγὼν ἀπέπεμπον ἰόντα

vel δεξιοί, οἷσιν ἐγὼ χαίρων ἀπέπεμπον ἰόντα,

dumque elegantissimam hanc scriberet antithesin: χαίρων ἀπέπεμπον ἰόντα, χαῖρε δὲ κεῖνος ἰών, non observasse parum venuste versui in ἰόντι exeunti versum subiici, cuius ultimum vocabulum esset ἰόντα (minime enim turpis eiusmodi negligentia; vel optimus poëta interdum sic peccat), sed interpolatorem levem illam maculam etiam cum sententiae detrimento eluendam putasse.

347 sq. Monstrat patri Ulysses cicatricem, enumerat arbores sibi olim a patre datas; tum ille eum agnoscit:

ἀμφὶ δὲ παιδὶ φίλῳ 'βάλε πήχεε, τὸν δὲ ποτὶ ϝοὶ
εἷλεν κτἑ.

Ad verbum εἷλεν defendendum tres locos Iliadis affertis, sed in nullo horum quidquam esse credo praesidii. Legitur enim:

Ω 226 sq. αὐτίκα γάρ με κατακτείνειεν Ἀχιλλεὺς
ἀγκὰς ἑλόντ' ἐμὸν υἱόν.

De filio mortuo hic Priamus loquitur, verboque nostro addidit ἀγκάς. Quis autem dubitavit unquam quin ἀγκὰς ἑλεῖν recte diceretur? Et quis nostratium putet dicere se posse: „hij nam zijn zoon naar zich toe", quia etiam dicatur: „hij nam het lijk van zijn zoon in de armen"?

A 501: δεξιτερῇ δέ Ϝ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα κτέ.

Latine dicitur: „mentum eius prehendit." Ideone etiam pro: „filium ad se traxit" dicemus: „filium ad se prehendit"?

E 353: τὴν ἄρα Ϝῖρις ἑλοῦσα ποδήνεμος ἔξαγ' ὁμίλου.

Venerem a Diomede vulneratam metuque semimortuam ulnis attolit Iris secumque in altum avehit.

Accedit quod nostro loco illud εἷλε vel ἀγκὰς εἷλε iam inest in his: ἀμφὶ δὲ παιδὶ φίλῳ 'βάλε πήχεε. Sequi potest aliquid illi dicto cognatum, sed tamen non prorsus idem. Absurdum sit iterum aliis verbis dicere: „amplexus eum est." Quid autem illud est? Quid qui alicui iam circumiecit brachia, deinde eidem iisdem brachiis facere potest? Ne cogitari quidem hic quidquam aliud potest quam hoc: „et ad se traxit illum". At nimis violentum esse εἷλκεν ex hoc versu apparere dicitis:

A 239 εἷλκ' ἐπὶ Ϝοὶ μεμαὼς ὥς τε λίς.

Omnis hic violentia inest in participio μεμαώς et in leonis imagine, nam ipsum verbum ἕλκειν nihilo plus habet virium quam Latinum „trahere". Et si haberet, huic loco esset aptius. Nonne enim ipsa caritas amplexus artiores reddit vehementioresque? Nonne simiae suos liberos amore suffocare dicuntur? Sed de Laërta robustum filium amplexante nihil eiusmodi est verendum.

397 sq. Ad Ulyssem accurrit Dolius senex

χεῖρε πετάσσας
ἄμφω, 'Οδυσσῆος δὲ λαβὼν 'κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.

Agnoscite ineptum imitatorem, qui cum alicubi legerit οὔτασε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ, et de saltantibus, manu ducentibus, manus alicuius ne elabi vel repugnare possit prehendentibus: ἕλε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ, admodum sibi elegans videatur cum versum sic expleat 'κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.

478 sqq. Roganti Minervae, quid fieri velit exorto bello Ulyssem inter et procorum cognatos, respondet Iupiter:

τέκνον ἐμόν, τί με ταῦτα διείρεαι ἠδὲ μεταλλᾷς;
οὐ γὰρ δὴ τοῦτον μὲν ἐβούλευσας νόον αὐτή,
ὡς ἦ τοι κείνους Ὀδυσεὺς ἀποτίσεται ἐλθών;
Ϝέρξον ὅπως ἐθέλεις· κτἑ.

Imperitum poëtam arguit acervus particularum vs. 480: ὡς ἦ τοι.

511 sq. Iam adsunt hostes ad Ulyssis fores, iam ipse stat armatus cum sociis; hic Minerva. Mentoris sumpta figura apparet. Qua visa laetatur ille speique plenus filium ad proelium excitat. Hic Telemachus:

ὄψεαι, αἴ κ' ἐθέλῃσθα, πάτερ φίλε, τῷδ' ἐπὶ θυμῷ
οὔ τι καταισχύνοντα τεὸν γένος, ὡς ἀγορεύεις.

Hic quoque se prodit imitator. Nam recte quidem dicitur: τῇδ' ἐπὶ μορφῇ vel τῷδ' ἐπὶ σώματι οὐκ εἶ ἀνδρεῖος: „cum vultum speciemque habeas bellatoris ignavum tamen te praebes" et similia, sed τῷδ' ἐπὶ θυμῷ οὐ καταισχυνῶ τὸ σὸν γένος: „non, cum tali sim virtute praeditus, dedecori ero tuae genti" subineptum est.

Habetis annotationes meas, iustam epistolam nondum habetis: illa enim suam sibi clausulam postulat; non potes eam sic temere finire. At ego quid novi his addam nescio, vereorque ne plura iam quam opus sit scripserim. Ergone mulieres imiter, quae omni scribendi exhausta materia tamen aliquid se omisisse fingant ut „post-scriptum" illud adiicere possint, quo rite carere nullam arbitrantur epistolam? Sed quidquam me omisisse ne fingere quidem possum. Quis enim credet me in pecore meo numerando parum fuisse diligentem?

Redeo ergo unde orsus sum. Profecto ineptus essem dissimulator, si negarem me hoc spectasse ut mea quoque opera lucis aliquid poesi epicae Graecae affunderetur: nemo tam

semet ipsum contemnit ut serio credat aut plane inutilem suum esse laborem aut sibi soli utilem. Sed quid et quantum boni haberent observationes meae Vos potissimum diiudicare volebam. Non quod posthac in Vestra verba iurare decrevissem, sed quod sciebam nullos magis quam Vos in aliquo libro aestimando, sive ab amico scriptus ille esset sive ab ignoto, rem ipsam spectare solere, et, cum de Homero ageretur, Vos ceteris omnibus rem tenere melius. Hanc ergo commentationem Vobis inscribens quodammodo ut Vestrorum de Homero meritorum publicum exstaret monumentum effeci. Quod si Vobis exile videbitur, voluntatem potius eius qui exegerit quam ipsius pretium considerabitis. Valete.

CONSPECTUS.

INDEX LOCORUM, QUI HOC LIBRO TRACTANTUR.

INDEX LOCORUM, QUI HOC LIBRO TRACTANTUR.

INDEX LOCORUM, QUI HOC LIBRO TRACTANTUR.

INDEX LOCORUM, QUI HOC LIBRO TRACTANTUR.